
R. P. IOANNIS FERRANDI ... S. FERRANDUS REDIUIUUS. SIUE S. HECTORIS, ...

Jean Ferrand




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
36 C
5

R. P. IOANNIS

FERRANDI ANICIENSIS,

E SOCIETATE IESV, THEOLOGI,

S. FERRANDVS REDIVIVVS.

SIVE

S. HECTORIS, FVLGENTII, FERRANDI, Primùm in Africâ Diaconi Carthaginenſis : tùm in Hiſpaniâ Carthaginis Spartariæ Epiſcopi: denique Archiepiſcopi Toletani,

VITA.



LVGDVNI,

Apud GVILIELMVM BARBIER, Typographum Regium.

M. DC. L.





ADMODVM REVERENDO

IN CHRISTO PATRI

P. FRANCISCO

PICCOLOMINEO,

SOCIETATIS IESV

PRÆPOSITO GENERALI.



FFVLGES tandem aliquando, PATER ADMODVM REVERENDE, huic SOCIETATIS IESV toto terrarum Orbe diffusæ microcosmo, velut SOL ORIENS, anteuolante quidem famâ iampridem prænuntiatus: at multò magis à præmicante meritorum tuorum luce ex æquo præoptatus, & , quod palmarium est, à benigno præceptæ humanitatis, prouidentiæ, ac pietatis tuæ affluxu, communi omnium gratulatione exceptus, simul & religiosâ, pro more, affectus veneratione.

Et verò iam nunc, vel ab ipsomet tui (Solis, inquam, sui) exortu, persentiscere cœpit SOCIETAS, illis proximè simillima in se deriuari beneficia, quæ à Sole aspectabili noster Areopagita Dionysius memorat hanc rerum Vniuersitatem, quanta quanta est, fœliciter experiri.

Enimverò SOCIETATI nostræ (imo re-

cèns imperio, & curâ tuæ) vt [a] Sol præpotens præes: *illam* [b] ad vitam excitas, *vt parens: vt educator* alis, & auges: purgas, *vt lustrator: vt instaurator* renouas: [c] congregas, & vnis, *vt omnibus vnus: vt perfector* absoluis. *Grandia memoro; quid enim dissimulem? sed vera; quid enim à Sole nisi grandia expectem?*

SOCIETATI, inquam, nostræ, vt Sol præpotens præes, *dum ipsius obscuritati lucem tuam affundis, incolumitati peruigil excubas, & vbique terrarum dispersæ paternâ prouidentiâ moderaris. Illam* ad vitam excitas, *cùm adhuc in terris mortalem, per contemptum miseræ, ac momento perituræ, beatam, æternámque in cœlis vitam ambire perdoces exemplorum potiùs, quàm verborum victrice suadelâ. Vt educator* alis, & auges, *quia cœlestium gratiarum manna de cœlo, plurimâ, & ardenti prece, continenter elicito, seipsâ iam vno sæculo grandiorem, nouus Moyses ad delicias vsque pascis.* Purgas, *vti sacer lustrator, quòd, si quid terrenæ contagionis SOCIETATI sensim sine sensu (vt sunt res humanæ) sit affricatum, lustricis perpurgas expiationibus monitorum. Vt instaurator* renouas, *cùm primigenium recèns natæ vigorem sub grauissimâ occupationum mole, tantùmnon supra vires, laboranti, & pristinam decolori, ab assiduâ studiorum, docendíque contentione, formæ venustatem, nouo religiosarum præceptionum influxu, reuocas fugientem.* Congregas, & vnis [d] *omnibus vnus, dum in Patri-*

a τὸ μέγεθος τῆς πρὸς τὸν ἥλιον δυνάμεως, καὶ ἀρχῆς, *Philo lib. de opif. mundi* prosequitur, sicut & Interpr. *in cap.* 1. *Gen. v.* 16.

b πρὸς τὴν γένεσιν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων συμβάλλεται, καὶ πρὸς ζωὴν αὐτὰ κινεῖ, καὶ τρέφει, καὶ αὔξει, καὶ τελειοῖ, καθαίρει, καὶ ἀνανεοῖ, *S. Dion. lib. de diuin. nom. c.* 4.

c *ibid. post pauca*, διὸ καὶ ἥλιος, ὅτι πάντα ἀολλῆ ποιεῖ, καὶ συνάγει τὰ διεσκεδασμένα.

d πάντη, καὶ πάν-

bus ad comitia generalia toto ex Orbe euocatis, atque sub vno habentibus tecto, socios omnes immensis terrarum spatiis dissitos, nationibus aduersos, dispares indole, moribus dissentaneos, studijs, ac linguâ dissimillimos suspiciendâ mentium consensione, támque tenaci religiosæ Charitatis coagulo inter se copulas, vt [e] Roma, Orbis compendium, *apud se nascentis Ecclesiæ miraculum, vel renouatum miretur, vel perennatum amet. Ad extremum vt perfector eandem* absoluis, *quòd ad summum perfectionis apicem, quò sanctissimus Patriarcha noster IGNATIVS Societatem suam, nunc vicariâ gubernatione tuam, tanto, támque impigro, & ardenti studio euehere satagas, vt alter IGNATIVS audire possis, nisi subditorum numero maior esses.*

LOQVANTVR te alij, colendissime Pater, loquantur te, per me licet, [f] aurei tui generis *fulgoribus longè, latéque coruscantem; deprædicent te Maiorum tuorum hostilibus in bello trophæis, pereruditis in pace voluminibus, Episcopalibus in templo infulis, Cardinalitiâ in conclaui purpurâ, Pontificiâ in Vaticano tiarâ, tanquam Solem radijs coronatum. Mihi verò id gloriæ sæcularis choragium penitùs silere certum est, ne modestiæ tuæ reddar iniurius, quam optimè pernoui religioso, iuxta ac generoso rerum illarum fugacium contemptu, hoc est, subobscurâ luce,* Solis orientis *instar, fulgere malle.*

PATERE igitur, sol noster, vt hunc Phæ-

τῶν μόριον τοῦ ἑνὸς μετέχει, &c. *Id. ibid. cap.* 13.

e οὐκ ἂν τις σκοποῦ πόῤῥω τοξεύοι, λέγων τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, ἐν ᾗ συνιδεῖν ἔστιν οὕτως πάσας τὰς πόλεις ἱδρυμένας, καὶ κατ' ἰδίαν καὶ τὰς πολλάς, &c. *Athen. lib.* 1. *dipnos. cap.* 17.

f γονᾶς γὰρ ἀπὸ χρυσίας ἔβλαστέ μοι. *S. Greg. Naz. tract. Christi patient. init.*

Clem. Alex. lib. Strom. 4. *c.* 2. & *lib.* 5. *cap.* 2. ex Platone *lib.* 3. *de Rep.* & 5. & Ioan. Patriar. *in vita S. Ioan. Damasc.*

nicem Africanum (Diuum FERRANDVM loquor) fauentibus Paternitatis tuæ radijs euerberandum offeram, exponámque, vt viuificâ Humanitatis tuæ, ac patrocinij luce redanimatus reuiuiſcere, atque per eruditas literatorum hominum manus deinceps impunè, ac tutò valeat, poſsitque volitare.

Non te pluribus onero, ADMODVM REVERENDE PATER, obnoxium tibi hunc SOCIETATIS IESV microcoſmum animo, & ſcriptis luſtrare comparantem ſeſe: ſed ſicut à benignitatis tuæ pluſquam Phœbæâ luce factus ſum è muto Memnone vocalis, ita iam nunc à præceptâ tui præſidij, ac fauoris ſpe bonâ, factus iterum è vocali Memnone mutus, volens, ſciensque conticeſco.

Admodum Reuerendæ Paternitatis veſtræ,

Obſequentiſſimus in Chriſto filius, & humillimus ſeruus,

IOANNES FERRANDVS è Societate IESV.

Lugduno, kal. Febr. S. Ignatio Martyri ſacris.

PIO



PIO, ET BENEVOLO LECTORI.

ERDIV est, ERVDITE LECTOR, ex quo mihi, & Musis (vt ita dicam) canens hanc Sancti FERRANDI vitam condidi, conditámque, in speculum vitæ meæ, ad hanc vsque diem ab hominum oculis subductam seruo: neque animo insederat meo illam publici iuris adhuc facere, nisi tanti, támque præstantis Ecclesiæ Catholicæ Doctoris opera, à R. P. Pet. Franc. Chiffletio, è Societate nostrâ Theologo, eruditis illustrata notis, & in lucem recèns emissa (quod ego mente iampridem agitabam) venissent in manus meas. Vix hæc primo oculorum coniectu lustraueram, cùm subiit de repente animum cogitatio, clariorem, iuxta ac fusiorem rerum à sanctissimo viro præclarè gestarum enarrationem à nonnemine meritò desiderari posse. Hinc primùm occœpi non mediocri religione tentari, quòd beatissimi Cœlitis (cuius cognomine me Deus immeritum ornatum voluit) vitam mortalibus hactenus obscuram, tandiu, parum officiosâ, gratâ, & religiosâ retentione (vt ita dicam) flagellassem: Tum mihi subdi peracres stimulos sensi ad eam tandem aliquando typis mandandam, tribuendámque vulgo, ne vni duntaxat prodesset mortuus, qui omnibus profuerat viuus. Poëtam enim scitè, peræquè, ac numerosè canentem audio.

Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit? obscuro veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus. Claudian. paneg. de 4. Honor. consul.

Hanc igitur illustrissimi Doctoris vitam eo, si placet,

animo

animo, quo datur, excipe, LECTOR BENEVOLE, hoc eſt, amico: hanc perlege iis oculis, queis ſoles Diuorum facinora, hoc eſt, piis: hanc imitare, ſi vales, eo ſtudio, quo amas virtutes, hoc eſt, generoſo; ſi non vales, hanc ſaltem demirare eâ religione, quâ ſuſpicis diuina, hoc eſt, venerabundâ. Denique in FERRANDO immortali, & beato, Ferrandum mortalem adhuc, & miſerum ama, & precibus apud Deum, ac Diuum iuua.

VARIORVM

VARIORVM AVTHORVM
DE
S. HECTORE FVLGENTIO FERRANDO
TESTIFICATIONES.

EX FACVNDO EPISCOPO Hermianensi,

lib. 4. pro defens. trium capitul. cap. 3.



VENERABILES Pelagius, & Anatolius Romani Diaconi debitam officio, & loco sollicitudinem pro Ecclesia Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ *Ferrando* Carthaginensi Diacono scripserunt, vt habito de hac causa diligenti tractatu, cum Reuerendissimo eiusdem Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, vel aliis, quos zelum fidei, & diuinæ Scripturæ sciret habere notitiam, consulentibus responderet, quid obseruandum in communi videretur, &c.

EX ISIDORO HISPALENSI Episcopo.

lib. de viris illustr. cap. 12.

FERRANDVS Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, multùm in sacris Scripturis floruisse asseritur, multásque cum beato Fulgentio propositiones alternis epistolis habuisse

narratur. Iſte ad Pelagium, & Anatolium Romanos Diaconos conſulentes eum; vtrùm liceat quenquam damnare poſt mortem? edidit reſcriptum, vbi inter alia ſic loquutus eſt dicens: *Quid prodeſt cum dormientibus habere certamen, aut pro dormientibus Eccleſiam perturbare?* &c. Idem in S. Fulgentio.

EX CRESCONIO EPISCOPO Africano,

Præfat. Breuiar. Canon ad Liberin. Epiſc.

Quo mihi ſuffugio intercluſo item propoſui, hoc Canonum breuiatum à viro reuerentiſſimo FERRANDO, Carthaginenſis Eccleſiæ Diacono iam fuiſſe digeſtum; & debere eum noſtræ eruditioni ſufficere, ne aliud exquirendo, eius prudentiæ deprehendamur in aliquo derogare. Cui noſtræ excuſationi penitùs ſubmouendæ itidem obieciſti, non ad illius ſapientiſſimi viri reprehenſionem hoc te exquirere velle, &c.

EX VICTORE TVNNVNENSI Epiſcopo,

Chron. poſt Conſulat. Baſilij V. C. anno vj.

FERRANDVS Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus clarus habetur.

EX S. MAXIMO ARCHIEPISCOPO Cæſarauguſtano.

Æra 533. Petro Epiſcopo Toletano ſuccedit Hector in Africâ Diaconus, dictus FERRANDVS, familiaris S. Fulgentij Ruſpenſis, Epiſcopus Carthaginis Spartariæ; *Et rurſus*, Æra 534. HECTOR FERRANDVS Epiſcopus Toletanus mirum in modum emicat.

EX CÆS. BARONIO CARDINALI,

Tom. 5. *Annal. Eccl. ad ann.* 419. *N.* 90.

Cuius quidem rei locuples testis accedit FERRANDVS Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ, qui in huius sæculi fine magno splendore claruit; non Carthagine tantùm, sed in vniuersâ Ecclesiâ Africana, &c. *Et tom.* 7. *ad annum* 527. *N.* 76. In idem opus (*scilicet Canonum veterem collationem*) primùm omnium laborasse Dionysium [exiguum, secundo loco FERRANDVM Carthaginensem Diaconum, &c. habes. *Rursus ad ann.* 529. *N.* 8. Absoluit FERRANDVS eius discipulus, quod magister ipsius Fulgentius impeditus morte ea ex parte non attigit. Coluit mirificè S. Fulgentium ipse FERRANDVS Diaconus, vt magistrum. Nam ex epistolâ ad ipsum scriptâ se esse eius discipulum profitetur, dum eundem *Magistrum* appellat: dignus planè tanto institutore discipulus, licet non talis, qui æquauerit præceptorem. Cæterùm & magno nomine ipsum Ferrandum hoc tempore claruisse, & de quæstionibus consuli solitum difficillimis, epistolæ ipsius, quæ extant redditæ ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, & quæ ad Seuerum scholasticum Constantinopolitanum sunt scriptæ, satis docent: sed & quam posteà ad Pelagium, & ad ipsum Anatolium Romanos Diaconos scripsit (vt tradit Isidorus) num liceat aliquem condemnare post mortem, licet ipsa desideretur epistola, quantæ tamen fuerit æstimationis æquè significat. *Idem ad ann.* 533. *N.* 28. Tunc temporis Anatolius S. R. E. Diaconus consuluit FERRANDVM, Diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, discipulum S. Fulgentij, virum huius temporis doctrinâ insignem. *Et post pauca*: Scripsit idem FERRANDVS eodem argumento aliam epistolam ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum, quæ licet minimè integra habeatur, satis suppleri potest ex dictâ epistolâ ad Anatolium. Sicut ergo FERRANDVS monuit,

ita factum à Iustiniano Imperatore apparet; vt cùm afferret vnum de Trinitate passum, multa præmiserit, & rursus multa subiecerit, quæ omnem possent de subdolâ captione suspicionem auferre, &c, *Rursus ad ann.*546. *N*.51. His ab Ecclesiæ Romanæ Diaconis acceptis literis, FERRANDVS Diaconus Carthaginensis facere minimè prætermisit, quod fuit iniunctum: quamobrem omnes eius esse sententiæ inuenit Africanos Episcopos, nec Imperatoris decretum in aliquam acciperetur authoritatem, nec quicquam de ipso Chalcedonensi Concilio pertingendum.

EX BELLARMINO CARDINALI Societatis IESV,

Lib. de Scriptor. Ecclesiast. ad ann. 504.

FERRANDVS Diaconus Carthaginensis eodem tempore scripsit Paræneticum ad Reginum Comitem, qui extat in Bibliotheca Patrum, tom. V. editionis secundæ. Scripsit enim epistolas, quæ extant Romæ impressæ. Scripsit denique breue compendium sacrorum Canonum.

EX IVLIANO ARCHIPRESBYTERO S. Iustæ,

Chronic. ad ann. 532. *N*. 257.

Palmato, Episcopo Toletano, succedit in eâdem Sede, Græcus Petrus Gregorius concionator, Petro Toletano succedit in eâdem Sede Hector, cognomento FERRANDVS, Afer, qui fuit in Sede Carthaginensi Archidiaconus, scriptor nobilis, & Episcopus Carthaginis Spartariæ. *Idem N*. 259. Theodoricus Amalus, Rex Hispanus, interfuit Concilio Toletano, & anteà Concilio Tarraconensi, cui interfuit etiam Hector Toletanus, cognomine FERRANDVS. Hectori Toletano succedit Celsus, vir natione Germanus, vir sanctus, cuius agitur in Germaniâ dies xxx.

Maij;

Maij; vir fuit doctus. Hector, vel FERRANDVS rediit in Africam. Ad annos DXL. viuit; supplet opera S. Fulgentij magistri sui, qui Iberiæ, vel Ibris migrat ex hac vitâ anno Domini DXLV. Iterum N. 268. omnes Episcopi Africani mittuntur in exilium, præter Hectorem. *Idem N. 2. in secunda Diptycha pro Spiritibus pausantium refert praecipuâ curâ memoriam fieri præ aliis*, Palmati, Petri primi, Hectoris, Celsi, Montani, &c.

EX SIGEBERTO GEMBLACENSI,

Lib. de Vir. Illustr. cap. de S. Fulgentio.

Respondit vno libro quæstionibus à FERRANDO Diacono sibi obiectis. *Deinde cap. sequenti*, FERRANDVS Diaconus suprà nominatus, scripsit ad Reginum Comitem librum de septem regulis innocentiæ, & alia nonnulla.

EX IO. TRITHEMIO ABBATE.

Lib. de Script. Eccles.

FERRANDVS Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, ad quem S. Fulgentij suprà dicti nonnulla extant opuscula. Vir in diuinis Scripturis, & studiosus, & eruditus, & non minus sanctitate conuersationis, quàm doctrinâ venerabilis, fertur quædam viuacis ingenij cudisse volumina, de quibus ad notitiam meam subiecta tantùm peruenerunt, &c. Claruit cum Fulgentio sub Anastasio Imperatore anno Domini D.

EX ANTON. POSSEVINO Soc. IESV.

Apparat. Sacro.

FERRANDVS Diaconus Carthaginensis, qui S. Fulgentium, vti magistrum, magno in honore habuit, tempore Felicis Pontificis Maximi, anno Domini DXXIX. claruit, &

ad quem consulédum de arduis quæstionibus cùm plerique vndique scriberent, varia reliquit: licet non omnia consequuti sumus integra, &c. vixit anno 500. & quod excurrit.

EX PITHÆO.

Præfat. ad Breuiationem Canon. Fulgent. Ferrandi.

FERRANDVS Diaconus à Sigeberto inter Ecclesiasticos Scriptores relatus, libello regularum ad Reginum Comitem, meminit Fulgentij Ruspensis Episcopi, vt nuper vitâ functi; quod vtcumque circa Anastasij Imperatoris tempora vixisse arguit. Et fortassis eiusdem FERRANDI non immeritò alicui videatur narratio illa de vitâ Ruspensis Fulgentij, quæ inter Sanctorum historias edita est. Sed & hic Canonum indiculus, quem ex insignis Ecclesiæ Tricassinorum nostrorum codice nunc primùm edimus, omnium (quantum quidem opinamur) eius instituti antiquissimum: cui saltem debebit Gratianus restitutionem loci sui, hactenus vel in Romanâ illâ recognitione grauiter laborantis, quem ex vno FERRANDO tandem aliquando ita sanandum didicimus: *Sed sicut in Breuiatione Canonum Fulgentij Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi inuenitur, in Ceptimunicensi Concilio, & in Macrianensi statutum est, vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium.*

EX MARGVARINO DE LA BIGNE,

In Append. Biblioth. SS. Patrum, pag. 1881.

Quo factum est, *inquit*, vt Comes (*scilicet Reginus*) propositi memor eâdem de re (*nimirum de regulis innocentiæ militaribus actibus occupato necessariis, quas à S. Fulgentio adhuc superstite poposcerat*) conueniret FERRANDVM Diaconum, quem virum nouerat, vti tempora ferebant, doctissimum, & valde familiarem Fulgentio; sicut coniicere possumus ex pluribus epistolis vltrò, citróque datis, quæstionibus etiam illius de

de Diuinitate, & Scientiâ Christi, & libro de septem regulis innocentiæ ad Fulgentium (*lege ad Reginum*) & contrà ex illo libro de Continentiâ coniugali, quem Fulgentius ei FERRANDO nuncupauit. Viuebat autem vterque anno Domini quingentesimo, vel (vt aliis placet) 480. maximâ cum sanctitatis famâ.

Mitto alios complures referre, qui de Hectore Fulgentio Ferrando, cum maximâ nominis commendatione meminerunt. Consule Loaisam *in notis ad Concil. Tarraconense.* Pennotum *lib.* 1. *hist. general. Canonic. Regular.* S. Augustin. *cap.* 56. Aubertum Miræum *Biblioth. Ecclesiast.* Gerard. Vossium *in scholiis ad serm.* 4. *de Ascens. Domini*, *S. Greg. Thaumaturgi*, quem alibi laudare habemus. Molanum *de oper. S. Fulgentij.* Sirmond. è Societate nostra, *de libris S. Fulgentij à se editis.* Marquez *lib. de ordine Fratrum Augustinian. cap.* 11. §.4. Crusenium *lib. de Monach. S. August.* 2. *part. cap.* 7. & vniuersim quotquot de venerabili Episcopi Hipponensis Ordine historiam, annalésve texuerunt. Conradum Gesnerum *in suâ Bibliothecâ*, & alios omnes, qui recenti memoriâ Scriptores Ecclesiasticos in album miserunt. Abundè fuerit pereruditо Lectori, è densâ testium nube, hosce paucos in medium protulisse omni exceptione maiores, quibus in FERRANDI nostri eruditionem, & vitæ sanctimoniam religiosis, iuxta ac locupletissimis testibus, liuor, aut maleuolentia opponere possit nihil.



IN VITAM D. FERRANDI, A R. P. IOAN. FERRANDO conſcriptam,

EPIGRAMMA.

Authore PETRO BOESSATIO, Petri filio, Equite Delphinate, Viennæo.

SQuallentem Afrigenæ ſola inter rudera famam
FERRANDI, & longo nomina victa ſitu,
Gallicus en triſti cognominis excit ab vmbra,
Rurſus & ire hominum docta per ora docet.
Par animi candor; ſuperûm par zelus vtrique;
Par decus ingenij; par pietatis honos;
Par ſtudium totas ſcribendo fallere noctes;
Par amor Æterno vota vouere Patri;
Paſtorale pedum tulit alter, & iſte meretur;
Ille gerit palmas cælitùs, iſte geret.
Vincit in hoc noſter, quod agit miracula viuens;
Quodque alij vitam reſtituiſſe poteſt.

SANCTI

SANCTI HECTORIS

FVLGENTII FERRANDI

PRIMVM

IN AFRICA DIACONI CARTHAGINENSIS:

TVM

IN HISPANIA CARTHAGINIS SPARTARIÆ EPISCOPI:

DENIQVE

ARCHIEPISCOPI TOLETANI

VITA.

FERRANDVM sanctitatis æquè, ac eruditionis famâ percelebrem omnino Virum, tanquam alterum redanimatum *Phœnicem* dabo. Quin enim illum *Phœnicem* nominem? cui ab omni mortalium, quà sæculorum longissimè patet series, retrò actâ memoriâ parem, vt in omnibus est, *Ferrandum*, inuenias neminem. Vin illius natale solum spectare? *Afer*, & inter Afros *Carthaginensis* fuit. Nomen inquiris? *Hector*, dictus, ô Virum fortem! *Fulgentius*, ô Solem! *Ferrandus*, ô celebrem toto Orbe Doctorem! Educationem scire desideras? eius ingenium Sancti Fulgentij cultura subegit Vitæ institutum? Religiosam professus est vitam. Eruditionem? eam voce, ac stylo insigniter comprobauit. Zelum animorum? eo in paucis fuit, vt *fidei defensor, pro fide exul, & hæreseon malleus* audiuerit. Autho-

ritatem? is ſuper fidei rebus, quâ ſubobſcuris, quâ controuerſis per litteras vltrò, citróque miſſas conſultus, *vt oraculum*: in Conciliis, *vt Iudex* ſententiam dixit. Amicitias? tam ſacrâ, quàm profanâ poteſtate pollentibus viris charus, vt maximè fuit. Dignitatem noſſe allubet? *Diaconus*, *Archidiaconus*, *Epiſcopus*, *Metropolita*, *Archiepiſcopus*, *Hiſpaniarum Primas* gradatim vixit. Virtutum ad extremum ſi quæris ornamenta? ſemel dicam: vix ſcias, quâ virtute præſtiterit magis, vſque eò coluit, & adeptus eſt vniuerſas. Et poſthac *Phœnix* non erit *Ferrandus*? Quin etiam illum *Phœnicem* iterùm vocitem? quandoquidem ſuo è tumulo, tumulive citiùs dixerim carmine, velut alter è ſuo buſto *Phœnix* de integro reparabilis, meâ obſtetricante operâ rediturus eſt in hominum lucem; quam vtique lucem, ac vitam emortuæ tanti Præſulis famæ ſepulchralis ille, qui circumfertur, titulus maximâ ex parte redonabit.

Perſentiſco. Audaculus fortè hîc audiam, qui tam illuſtris Archiepiſcopi, & Doctoris res præclarè geſtas ego vnus homo tentem in litteras mittere. At nihil admodùm hæc me tangit cura, quòd probè, conſcientiâ magiſtrâ, norim, me id obſequi tanto, támque exquiſitæ ſanctitatis Cœliti, iure quàm optimo debere, ni erga ipſum ingratus, & parum pius videri velim; cùm enim me Superi, *Ferrandi* cognomine, dici voluerint, ſimul id oneris mihi ab iiſdem fuiſſe impoſitum credo; vt certè hanc tantuli honoris ſpeciem illi conarer rependere, qui, dum *Ferrandi* nomen perfectè impleuit, illud pariter primus magnificè illuſtrauit, auxit, & conſecrauit. Cæterùm ſuſcepti à me operis demiratoribus non illibenter do, maiori me nomine vocari, quàm vt ab illius amplitudine factus animoſior, tanti Pontificis vitam literis mandare debuiſſem audere. *Vocantur enim & alij*, teſte Chryſoſtomo, *magnis nominibus, vt Paulus, Petrus, Iacobus, Ioannes; ſed non propter nomina ſunt id, quod vocantur. Quemadmodum & ego*


S. Chryſoſt. hom. 52. in Act. Ap.

licet

licet eodem, quo ille, vocer nomine, non tamen vna, & eadem res vocabulo vocor. Non ſum Ioannes, ſed vocor Ioannes. Eodem planè modo ingenuè profiteor: *Non ſum Ferrandus,* hoc eſt, vir doctrinâ magnus, Pontificiis infulis maior, maximus ſanctimoniâ vitæ, nominiſque celebritate longè notiſſimus; *Sed vocor Ferrandus*; ideóque ne tanti Cœlitis venerabile nomen ingratus feram, neceſſitatem mihi quodammodò impoſitam credo, vitam Diui Ferrandi paucis perſpectam hactenus, denarrandi, & in publicam edendi lucem. Itaque iam nunc, quæ de ipſo pauciſſimis ſum præfatus, atquè complexus longè plurima, quoad res feret, paulò fuſiùs explicando reguſtemus.

CAPVT PRIMVM.

Nomen, & Genus.



A NOMINE, vt nunc ſe habet, ordiri lubet, Præſuli noſtro prænomen *Hector*, cognomen *Fulgentius*, nomen *Ferrandus* fuit: quam ipſe nomenclationem, non pro veteris illius æui ambitione, ſed ex optimo Auguſtini, & Fulgentij Magiſtri exemplo, more, ac ſanctiſſimâ diſciplinâ non prudenter minùs, quam piè ſibi affinxit, aut potius affixit. Neque enim Ferrandum latebat, quid in hac parte fuiſſet ab illis factitatum, dum ſe Auguſtinus *Aurelium*; Fulgentius *Fuluium, Claudium, Gordianum,* aggeſtis de ſuorum temporum more prænominibus appellatos voluerunt. Quin idem Ferrando noſtro liceret, non modò abſque ventoſæ gloriolæ ſuſpicione; ſed etiam cum non exiguâ, ſiue aduerſus auos nepotis, ſiue grati erga Magiſtrum diſcipuli commendatione.

Hectoris quidem prænomen, quod ipſi S. Maximus

Archiepiſcopus Cæſaraugustanus,aliique vindicarunt, haud ſatis ſcio an ab auorum aliquo, aut à parente traxerit ſuo, vt in ſancto Fulgentio nonnemini aduertere eſt. Quippe qui *Claudius* à parente, *Gordianus* ab auo, propagandæ Maiorum memoriæ causâ dictus fuit. Vtvt ſit, *Hectorem* Ferrando prænomen fuiſſe, teſtes adduco ad minimum quatuor, quorum Princeps S. Maximus proximè laudatus eſto. *Petro*, inquit, *Epiſcopo Toletano ſuccedit Hector in Africâ Diaconus, dictus Ferrandus, familiaris S. Fulgentij Ruſpenſis, Epiſcopus Carthaginis Spartaria* & rurſus; *Hector Ferrandus Epiſcopus Toletanus mirum in modum emicat.* Secundus eſto Iulianus Archipreſbyter Toletanus, cuius hæc verba ſunt: *Palmato Epiſcopo Toletano, ſuccedit in eâdem ſede, Græcus, Petrus Gregorius, concionator. Petro Toletano ſuccedit in eâdem ſede, Hector, cognomento Ferrandus, Afer.* Tertium produco teſtem Epitaphij Ferrandini ſcriptorem antiquum, qui ſepulchrale ſuum carmen in hæc verba exorſus eſt.

Iulian. chron. ad æram. 532.

Hector aue, ſacer Antiſtes, Ferrande beate.

Ad vltimum Concilij Tarraconenſis acta, & ſubſcriptionem, quæ ſic habet, allego: *Hector Epiſcopus Carthaginenſis, Metropolita.* Quid ſuper hac ſubſcriptione Loaiſa, aliique Hiſpani ſcriptores cenſuerint, erit alibi commodior dicendi locus.

Loaiſa in not. ad Concil. Tarrac.

De Fulgentij nomine, vel ex vnâ Canonum, qui circumferuntur, breuiatione conſtat, Ferrandum id prænomen habuiſſe: Eius titulus his verbis conceptus, eſt huiuſmodi: *Incipit Breuiatio Canonum Fulgentij Ferrandi Carthaginenſis Diaconi.* Hanc autem Breuiationem à Ferrando noſtro editam Eminentiſſimus Cardinalis, idémque Annalium Eccleſiaſticorum illuſtriſſimus conditor, Baronius, aliíque non pauci ſcriptores eruditiſſimi, non agnouerunt modò, ſed etiam non vulgariter commendarunt. At vnde illi prænomen Fulgentij? à ſibi cariſſimo (vti per ſeſe res loquitur) Ruſpenſis Eccleſiæ Pontifice, ſuóque in ſpiritu parente optimo,

S. Ferr. breuiar. Canon.

optimo, Diuo Fulgentio, cui hancce grati animi, & obſeruantiæ ſingularis teſtificationem rependere pius diſcipulus voluit, ne minor ſibi erga Magiſtrum ſuum gratiâ, quàm Diuis, Auguſtino, Cypriano, Fortunato in ſuos fuiſſe videretur; quorum alter *Aurelÿ*, alter *Cæcilÿ*, tertius *Venantÿ*, nomina eorum, quibus in ſacris literis operam dederant, pro eximia ſuâ aduerſus ipſos reuerentiâ, præferre, gentilitiiſque ſuis nominibus præfigere voluerunt. Idem, & illi, Diaconus noſter præſtitit, & hoc ſanè libentiùs, quò ad tanti Præſulis diuinas virtutes, quas oculatus, & domeſticus teſtis, vſu quotidiano ſpectauerat, in ſe refingendas, atque exprimendas, vel hac vnâ ſanctiſſimi nominis appellatione, ſeipſe vltro impelleret ardentiùs, atque adeò Alexandri Imperatoris acroamatis forſitã memor, adigeret vel inuitus. Et verò id conſilij, animíque fuiſſe Ferrando, vt ſuſpicer, haud quaquam de nihilo eſt; vtpote quem Fulgentium alterum omnino credas, ſi eius virtutum decora, & doctrinam introſpicere tantiſper velis. Vitæne religioſæ amantiſſimus fuit Fulgentius? amauit & illam Ferrandus. Illéne orationi, ieiuniis, animi demiſſioni, planctui, aliiſque id genus aſceticis exercitationibus ſtudium ſuum dedit? hic in iiſdem ſuum fixit. Illéne in animorum ſalutem vehementer incubuit? hic in eâdem procurandâ multus fuit. Illéne cum hæreticis acerrimè bellum geſſit? hic linguâ, & ſtylo aduerſus eoſdem gnauiter depugnauit. Illéne pro fide Orthodoxâ in Sardiniam deportatus exulauit? hic viæ, exilij, laborum, & ærumnarum indiuulſus illi comes extitit. Ad ſummam vterque doctrinâ, honoribus, vitæque ſanctitate, toto orbe Chriſtiano notiſſimus, ne dicam, miraculo fuit.

S. Hieron. lib. de Eccleſ. ſcript.
Brouu. in vit. S. Fortun. cap. 1.
Lamprid. in Alex. Imp.

Ferrandum verò ante hunc noſtrum legi neminem, vt meritò id nominis à gente, ſtirpéque ſuâ ipſi crediderim inhæſiſſe, propterea quòd ipſius adhuc æuo in moribus receptum erat, vt cùm ſe ternis, quaterníſque

appellarent nominibus, id Gentilitium, ac proprium cuiusque foret, quod vltimo collocabatur loco, & quo vno, cùm reliqua iuuaret omittere, se nominatim singuli quique vocitabant. Tu illius æui libros, marmora, aliáque id genus antiquitatis fugientia monimenta, ad quæ prouocaris, si voles, licebítque, consule. Sed de hoc nomine alias copiosiùs.

Vid. Sirmond. in not. ad Ennod.

Iam de Ferrandi gente nihil, nihil de parentibus habeo dicere, vt de illo (absit verbo inuidia) idem liceat vsurpare, quod de Melchisedec, summo illo Altissimi sacerdote, ac Rege Salem, Diuus Paulus eleganter memorat: ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine patre, sine matre, sine genealogiâ*, fuit. Si enim (vt interpres Syrus apposité in rem meam explicat) quia Melchisedecis nec pater, nec mater, scribuntur in generationibus; idcirco sine patre, sine matre, sine genealogiâ fuisse nuncupatur (quem illius sententiæ sensum, vti germanissimum Patres agnoscunt) quidni Ferrandum nostrum *sine patre, sine matre, sine genealogiâ* similiter audeam appellare? Enimverò tam certè Ferrandi patrem *Heraclam*, matrem *Asteriam*, *Astarothámve* nominauero, quàm sanctus Epiphanius Melchisedecis progenitores asseueranter dixit. At quàm bellè hoc veritati consonet, fides sit penes authorem. Quidquid sit, tanti Archipræsulis nostri familia, & gens claráne, an obscura extiterit, certò asserere haud quaquam ausim, nihil tamen verebor dicere, ipsum maioribus, *quorum familiæ & nobilitatis caput*, vt (Ennodij verbis vtar) *est filius*, nominis claritudine non solum præluxisse, verùm etiam inter eos Solem fuisse. Quare Ferrando non immeritò id accommodem, quod de Beato Antonio, Monacho Lirinensi idem pronunciauit Ennodius: *Factus est Victor stemmatis sui, vniuersos nascendo superauit.*

S. Paul. ad Heb. c. 7. v. 2.

S. Chrysost. homil. 35. in cap. 14. Gen.

S. Epiph. hær. 55. & 67.

Ennod. in vit. S. Anton. Lirin.

Est tamen, qui suspicetur; S. Ferrandum Diui Fulgentij Ruspensis aut affinem, aut consanguineum fuisse:

Chifflet. admon. ad

ſe : ſuſpicionis illi fundamentum alterum fuit *Fulgentij* prænomen; alterum modeſtia, quâ genus illuſtre beati Præſulis commemorauit Ferrandus noſter. In re obſcurâ, & incertâ nolim ipſi obſtinatiùs reſponſare; à meâ tamen ſententiâ nullo pacto diſceſſerim, dum firmioribus rationum momentis euincar. Illum ego S. Fulgentij *diſcipulum* certò pernoui, & pro more veteri à Magiſtro *Fulgentium* ſe dici voluiſſe credo, quò ſuam erga hominem optimè de ſe meritum obſeruantiam ſingularem, ſimul & gratiſſimum animum poſteritati relinqueret teſtatiſſima. *Affinem*, *&* *conſanguineum S. Fulgentij* legi nunquam, & ipſius ſilentium, inficiæ ſunt mihi. *Lect. oper. S.Ferr.*

CAPVT II.

Patria, Natale ſolum.

AFRICA oriundum Ferrandum teſtantur antiqui ſcriptores omnes omnes. S. Maximum Cæſarauguſtanum, & Iulianum Archipreſbyterum Toletanum proximè laudatos ſuper hac re teſtimonium dicentes audiuiſti. Accedit, quiſquis ille fuit, qui elogium ſepulchrale Ferrando poſuit, cùm cecinit in hunc modum.

Africa quem tellus gignit, Ibera vocat.

Tu alios ex aliis recentiores de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tractatores, huc, ſi voles, aduocabis teſtes, ſimúlque mecum miraberis Marquezium è S. Auguſtini familiâ ſcriptorem nuperum, tam præfidenter aſſeruiſſe, Ferrandum Diaconum Carthaginenſem, non tam *à patriâ*, quàm *ab officio Afrum*, gente verò *Hiſpanum* extitiſſe. Hoc eius pronuntiatum alibi bellatorio ſtylo configendi erit opportunior locus. Interim amabo te, quo è tripode hoc oraculum? è ſancti Maximi, inquit, *Marquez lib. de ord, frat. Aug. c.11.§.4.*

cortinâ,

cortinâ, apud quem *Hector in Africa Diaconus dicitur Ferrandus*; quæ isthæc, (pace viri eruditi dixerim) ratiocinatio? quasi verò Ferrandus in Africâ primum ducere spiritum, dein Diaconum ibidem agere non potuerit? Pari argumentandi licentiâ, si quis diceret. *Aurelius in Africâ Episcopus, dictus Augustinus*; continuóne consequens esset D.Augustinum *non tam à patriâ, quàm ab officio Afrum* extitisse, ac dici? hoc si negaris, ego pariter & illud, quod asseris. Qui verò Marqueziũ S.Maximo, Iuliano, & Epitaphij laudati scriptori, hominibus Iberis, ipsomet Marquezio haud parum vetustioribus (vt Hispanum cum Hispanis componam) fide digniorem credat, puto fore neminem. Accedit, quòd si Marquezij coniectura quidquam haberet ponderis, aut similitudinis veri, possem aut proximè atque ipse, aut etiam æquè asseueranter conficere, Diuos Dionysium, & S. Martinum, ortu Gallos, Beatúmque Paulinum gente Italum extitisse, propterea quòd illi in Galliis, hic in Italiâ Pontificias cathedras tenuerunt. Hoc tamen, qui afferat, næ ille se omnibus propinaret deridendum. Hîc iam viderit Marquezius, num Hispania sibi potiori iure præ Africâ, Ferrãdum debeat vindicare; eò quòd ex hac, ad Carthaginensis Iberiæ insulas, pro virtutum, atque doctrinæ suæ famâ longè maximâ noster Diaconus euocatus fuerit ac euectus. Scilicet *is admirabilis, & amabilis* (arguto Stephani Tornacensis vtor verbulo) *Ecclesiarum Ludus, & festiuus* Ferrandi in Hispaniam, ex Africâ *saltus* adeò insolens videri possit, vt in hoc Carthaginensis Ecclesiæ anteà Diacono ferri non possit? habeat igitur, me iudice, Ferrandum Africa, *ortu, educatione, vitæ monasticæ professione, atque Diaconatus officio*, suum: Hispania verò *Episcopum, Metropolitam, Archiepiscopum, & Primatem*, ita sibi deinceps eundem asserat; vt Africæ, summorum virorum feraci se illum debere fateatur. Ita enim res habet. Africa non ferarum magis, quàm maximorum ingeniorum mon-

Steph. Tornac. epist. 175.

stra

ſtra identidẽ quondam tandiu tulit, dum pro fide orthodoxâ ſtetit. Veniant in mẽtem Domnuli, Fortunatiani, Syneſij, Creſconij, Optati, Primaſij, Alipij, Facundi, Cypriani, Fulgentij, Tertulliani, & vnus ex omnibus Auguſtinus, Eccleſiæ vniuerſæ micantiſſimum lumen, quos omnes doctrinæ mirabilitate præſtitiſſe nemo non nouit. His verò Ferrandum annumerabis haud dubiè, cùm ipſius eruditionem, & merita æquâ lance ponderaueris. At de illius patriâ ſatis.

Iam quodnam ipſi natale ſolum? Carthago Hiſpana, ſi Marquezio auſcultemus. Minimè gentium, verùm Carthago illa Africana, tot Vatum, tot Oratorum, tot Hiſtoricorum monimentis, ſuâ demum clade toto Orbe notiſſima, quam Duretus ab Hebræis *Carthagaam*, hoc eſt, vrbem *ſuperbam*, & *magnificam* fuiſſe vocitatam annotauit. Eius porrò laudes vniuerſas Saluianus noſtras, pauculis hiſce verbis complexus eſt. *Carthago vniuerſarum Africæ vrbium Princeps, & quaſi mater, & in Africano Orbe quaſi Roma*: imò & quandiu floruit, veteris Romæ æmula. Hac in vrbe primum ſpiritum hauſit Ferrandus noſter, vt quidem Epitaphium eius, Carthaginem cum Toleto committens cecinit in hunc modum:

Duret. in theſ. ling. cap. 43.

Saluian. lib. 7. de prouid.

Illa dedit vitæ primordia labilis vſus,
Iſta reſurgentem læta videbit humo.

Quid? ſi & ipſum rogare, & audire pro ſe dicentem ſententiam fas foret; haud dubiè cum Plautino Agotaſtocle his nos compellaret verbis:

Carthagine ego ſum natus, ut tu ſis ſciens.

Plaut. in Pœnul.

Illic viuere crediderim occœpiſſe, anno quadringenteſimo, & quod excurrit. Nam certò ipſius vitæ, & natalis annum definire vix vllus poſſit; Quare in re vſque adeò obſcurâ incertâque inueſtigandâ diutiùs immorari, de nihilo eſt.

CAPVT III.

Educatio.



NON exiguum est ad vitam ex virtute instituendam momentum, atque adeò compendium, pia præstantium magistrorum cultura. Cerei enim sunt ad omnia puerorum animi, neque admodum ægrè, de suorum Præceptorum institutis, vitia, virtutésve trahunt. Eapropter quæ, quámque sedula fuerit Diui Ferrandi parentum cura, vt is ad omnem doctrinam, virtutémque informaretur, non leuibus coniecturis venari licet, illiúsque educationem adolescente Christiano dignissimam extitisse, quid vetat affirmare? non enim parentes eius ex illorum fuere numero, quos S. Augustinus testatur non admodum esse sollicitos, *Quomodo liberi crescant Deo, quámque sint casti, dummodo sint diserti, vel potiùs deserti à culturâ tuâ, Deus, qui es vnus, verus, & bonus Dominus agri tui, cordis nostri*; sed ipsos tales fuisse euentus egregiè comprobauit, quales Diuus Chrysostomus parentes Christianos esse debere sibi, & animo, & stylo fingebat, cùm scriberet, diceréteque χριστοφόρων οἰκοδόμους ναῶν eos *Christiferorum templorum architectos* esse debere.

S. August. lib. 2. Confess. cap. 3.

S. Chrysostom. lib. 3. de vit. Monast.

Ferrandum ergò ad omnem imprimis pietatem à parentibus insigniter fuisse innutritum, educatúmque vel ab ipso adolescentis institutore S. Fulgentio coniicere in procliui est. Nisi enim illi, vt in seipsis, ita & in carissimâ sobole, vitæ sanctitatem adamassent, haudquaquam filium suum in tam exquisitæ virtutis viri disciplinam, culturámque tradidissent. Ferrandum autem Diuo Fulgentio vsum Præceptore testes sunt, Iulianus Archipresbyter, dum ait. *Supplet opera S. Fulgentij,*

Iulian. supr. cit.

tij, *Ruspensis Episcopi, magistri sui*, & Ferrandini Epitaphij conditor ita pangens:

Contigit inde tibi Fulgentius ipse Magister.

Verùm quid alios huiusce institutionis venamur testes, cùm Ferrandum ipsum pro se ferentem testimonium audire liceat? Is ergo S. Fulgentium super quinque quæstionibus consulens epistolam suam in hæc verba exorditur: *Sæpe multum volui effectum interrogare dicendi, sed absentem Magistrum frequentibus epistolis compellare portitorum raritas ex itineris longinquitate prohibuit.* Audin, vt iam Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, & per doctorum virorum ora volitans, nullo planè modo vereatur S. Fulgentium ingenuè suum profiteri *magistrum*, quod superbuli nescio qui homunciones æquè, ac ingrati, ore tenus, profiteri erubescunt? At quibus in disciplinis Fulgentius Ferrandi Doctor extiterit, non ita liquidò constat: ego tamen facilè adducor, vt credam quà humaniores, quà sacras literas, atque adeò *scientiam Sanctorum*, vt loquitur Salomon, à Diuo Fulgentio didicisse Ferrandum. Ratio in promptu est, quia scilicet eâ tempestate Orthodoxis parentibus metus erat non leuis, ne liberi in magistros hæreseon, quæ tum maximè in Africâ grassabantur, infectos tabe inciderent, à quibus (vt mollia, & sequacia sunt puerorum ingenia) sententiis, erroribúsque à rectâ fide alienissimis informarentur, simúlque cum melle venenum ebiberent. Nec sine exemplo res erat. Nam sub Maximino, & Licinio Ethnicis Imperatoribus, pueri in ludis literariis commentarios in Christi contumeliam confictos, in manibus, in ore, ac sermone quotidiano habere cogebantur: támque sedulam operam & ardens studium tenellulis, purísque puerorum mentibus vitiandis, ac corrumpendis pagani Ludimagistri adhibebant, vt Eusebio teste, sacrilegos huiuscemodi libellos ipsis memoriæ mandandos traderent, nec non eosdem suos discipulos, pro reliquis disciplinis,

S.Ferr.epist. ad S. Fulg. super.5.q.9.

Prou.c.9. v.10.

Euseb. lib. 9.hist. Eccles.c.6.

hisce nugis, atque figmentis ad omnem elegantiam, & veneres expictis educerent ad summam impietatem, odiúmque Christianæ religionis. Verùm, ne lōgiùs petamus eiusmodi maleficarū fraudium exempla; Theodorus Presbyter, cuius elucubrationes etiamnum Doctorum teruntur manibus, in ipso suæ Isagoges, de vnione duarum in Christo naturarum, aditu testis est, sectatores Eutychetis, & Dioscori (quos Ferrandus deinceps vir factus acerrimè impugnauit) tantâ pertinacis animi constantiâ, Ecclesiæ Catholicæ bellum intulisse, vt quorum haberent liberos, fabulis, quas pro suo impiissimo dogmate elaboratos disseminabant, quà voce, quà stylo studiosè imbuerent. Idem in Africæ pueris Orthodoxis ab iisdem hæreticis illo æuo grassantibus impendebat periculum, nisi si ab ipsorum parentibus maturè, iuxta, ac sapienter fuisset ipsis consultum; cui malo prudentissimi parentes Ferrandi obuiam ituri, eum S. Fulgentio, viro doctrinâ, fide, ac sanctitate spectabili erudiendum maturrimè tradiderunt.

Theod. lib. de vnion. duar. nat. tom. Bibl. PP.

Perquàm libenter Diuus Fulgentius (vt erat alienæ salutis, & gloriæ diuinæ appetentissimus) optimæ indolis adolescentem in suam fidem recepit, admisit in scholam, optimisque imbuit disciplinis. Nemini verò mirum videri debet Virum sanctissimum, solitudinis amantem, & tùm fortè Abbatis officio defungentem pueris ad omnem doctrinam, & hoc suaui illicio, ad virtutem (quod caput est) informandis animum voluisse adiicere: propterea quòd veteri æuo, maximè vigentibus in Orthodoxos persecutionibus, non aliæ vulgò habebantur scholæ, in quibus artes liberales Catholicorum liberis traderentur, quàm Monasteria, nec alios plerumque magistros audiendi copia erat, quàm viros sacros, à popularibus feriatos negotiis, ab hominum turbis, oculisque semotos, atque adeò plerumque Monasteriorum Præfectos; qualis in Africa id

ætatis,

ætatis, quâ puer adoleſcebat Ferrandus noſter, potuit eſſe Fulgentius. Cæterùm non admodùm immeritò in Beatum Fulgentium, & Ferrandum cadat illud Ennodij: *Genus eſt ſingulare laudis in Doctoribus, diſcipuli eruditio, & ſi pergere dicendo licet, Achillis linguâ, Chiron innotuit; fecit ſequacis meritum opinionem illius plùs amari, cuius per ſe fortè facundia in lucem non potuiſſet exire. Maro veſter tantis inſtitutores ſuos commendauit, quantis ipſe notus eſt, & certè illos per merita ſua fama non prodidit. Hieronymus noſter, niſi præceptorem ſuum Gregorium diceret, ipſe melior cenſeretur.* Non pauca ex his Ferrando quadrare poſſunt, ſi tamen poſtrema minus commodè veritas ferre poſſit, hoc certè cum eodem Ennodio verè dixerim: *In ſummâ cælum pulſat Magiſtri opinio, perfectione diſcipuli.*

Ennod. dict. 8.

Id. ibid.

Capvt IV.

Monaſticæ vitæ profeſſio.



Svb piâ æquè, ac eruditâ S. Fulgentij diſciplinâ ſenſim Ferrandus adoleſcens, animum ad Monaſticam vitam amplexandam adiecit, hortatore ſimul, & duce (vt equidem ſcio) magiſtro; qui pro ſuo alienæ ſalutis ſtudio planè ſingulari, teſte ipſomet Ferrando vitæ Magiſtri ſui ſpectatore primùm, tum ſcriptore, *plurimos ad conuerſionem piis monitis inuitando, Monachorum numerum multiplitat, & magnæ congregationis efficitur Pater.* Idem agens de ardentiſſimo inſtitutoris ſui ad cœnobiticam vitam propagandam ſtudio inquit: *Et quamuis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere ſuadebat, ita cupidus ſemper acquirendi ad cænobia fraternitatis, vt quamuis omnia omnibus noſſet eſſe, Monachorum tamen profeſſioni ſociare cunctos optaret, & vellet.* Ad vltimum de eodem hæc habet: *in nullo loco viſus eſt ſine Monachis habitare.* Appoſitè omnino

S. Ferr. præf. vit. S. Fulg.

Id. vit. eiuſd. c. 14.

Ibid. c. 20.

Ibid. c. 19.

in nullo loco, inquit, quandoquidem ne in exilio quidem carere potuit S. Fulgentius, *sine fraterna congregatione viuere nesciens.* Huic ergo adolescens Ferrandus in Domino filius fuit.

Audi iam effectum Diaconum ad pristinam Monasticæ vitæ quietem, à qua fuerat abductus, paulò post auidè anhelantem. *Vtinam*, ad Seuerum scholasticum Constantinopolitanum scribens, inquit, *Vtinam mihi fide simplici, quam catholica per vniuersum Mundum docet Ecclesia, sic donet Deus esse contentum, vt omni, si fieri potest, huius vitæ miserabili tempore orationi, & ieiuniis vacans plangam cum pusillis fratribus meis delicta multa, & grauia, siue quæ iam doleo commissa, siue quæ adhuc cogor ex carnis fragilitate committere.* Viden' pias Monasticæ vitæ exercitationes? *Beatum me tunc existimabo, quando positus in silentio Monasterij*, (quòd Monachis familiare significat D. Augustinus extitisse) *illum versiculum Psalmi per momenta cantauero: Dixi, custodiam vias meas.* Sic ille. Agedum verò quid aliud amabo te è flebilibus istiusmodi votis colligas, quàm Ferrandum Cœnobiticæ vitæ stadium, & agonem ingressum fuisse, atque adeò gnauiter decurrisse, confecisséque feliciter. Id, vel asceticæ vitæ exercitationes suprà ab ipsomet Ferrando enumeratæ, satis supérque contestantur. Nihil enim frequentiùs Diaconus noster sub Diui Fulgentij disciplinâ, quàm ieiunium, orationem, planctum, atque silentij custodiam à Monachis vsurpata eloquitur. Nihil dico, quæ ille de S. Fulgentio primùm Monasticæ vitæ candidato, tùm tyrocinium ponente, deinde Abbatis munere defungente, ad vltimum Abbatis abdicatâ dignitate, priuatam agente vitam fusè prosequitur. Malo meminisse de ieiuniis quotidianis, de vigiliis, de meditationis studio, & lectionis assiduitate, quæ Episcopus creatus remisit nunquam. Quid quòd in Sardiniam exul, *similitudinem magni cuiusdam Monasterij* (verba sunt Ferrandi, qui illius pars magna fuit) *Monachis & Clericis adunatis*

Idem epist. ad Seuer. scholast.

S. August. epist. 79. ad Bonif. Psal. 38. v. 1.

S. Ferr. vit. S. Fulgent. cap. 2. 3. 6. 14. 18.

Ibid. c. 20.

adunatis, sapienter effecit. Erat quippe communis mensa, commune cellarium, communis oratio, simul & lectio, &c. In eadem Cœnobij palæstrâ non mediocriter laboriosâ, Ferrandus à teneris sub crudâ tanti, támque religiosi Magistri disciplinâ diu multúmque exercitatus ad easdem meditationes iam multarum palmarum Athleta, tanquam ad amplissimum cælestis gloriæ seminarium, consueuerat anhelare.

Eodem meritò referas illam epistolaris salutationis formulam, quâ vir sanctissimus vti amauit, cùm in extremâ ad S. Fulgentium datâ epistolâ, *Sanctos*, inquit, *Presbyteros, Diaconos, Confratres, beatámque congregationem supplex saluto.* Pari modo S. Fulgentius in ea, quam ad ipsum responsi loco misit, epistolâ, illum ita resalutat: *Sancte frater Ferrande*, rursùs, *Frater charissime.* Et in responsione super Baptismo Æthiopis moribundi, eundem *in Christo charitate plurimùm desiderabilem, sanctum Fratrem* appellat. Erat autem id temporis, vt Augustini, ita & Fulgentij Religiosorum vsitatissimus titulus, vt se inuicem *Fratres*, suámque coitionem, seu congregationem, *sanctam fraternitatem*, vel *fraternam congregationem* nuncuparent. Hoc est postremum pro Monastico Ferrandi instituto argumentum, quòd Epitaphium ipsius subministrat. Quamuis enim non tam apertè Monasticam vitam ab illo actam, loquatur satis tamen manifestè videri potest indicasse verba, curiosiùs pensitanti. Sic autem infit:

Contigit inde tibi Fulgentius ipse magister
Lumen, & eximiæ Relligionis honos.

De reliquo vnum adhuc hîc de me expectari peruideo; fueríine Ferrandus noster è S. Augustini familiâ quondam Alumnus, necne? Asseuerant Crusenius, Marquez, aliíque scriptores Augustiniani. Quid super hac controuersiâ censeam paucis expedio; bonâ cùm Venerabilium Fratrum Augustinianorum veniâ, quos summoperè colo, veneróṙque.

Idem epist. de 5. quæst.

Sanctam Cógregationé, *cœtum Monachorum, vocarunt SS. August. ser. de cœn. Dom. ad S. Fulg. resp. ad epist. 5. Ferr. S. Ferr. vit. cit. cap. 14. 19. 20.*

Crusen. lib. de Mon. S. Aug. 2. p. cap. 7. Marq. loc. cit.

FERRAN

FERRANDVM aſſero S. Fulgentij cum domeſticâ, tum religiosâ diſciplinâ & inſtitutione alumnum extitiſſe. Diui autem Auguſtini nec credo, nec approbo. In quam ſententiam hæ principes me adduxêre rationes. Prima, quia Ferrandus Beatum Auguſtinum ne oculis quidem vſurpare potuit, vtpote iam è viuis ſublatum. Enimverò de Chronographorum, Baronij, Gordoni, Petauij, &c. opinione, atque doctrinâ, tanti Doctoris obitus in annum 430. incidit. Ferrandus autem noſter anno 498. ex iiſdem florere tantum occœpit. O quàm longum temporis interuallum! Secunda, quia de S. Fulgentij piiſſimâ inſtitutione Ferrandum cœnobiticam vixiſſe vitam, nemine prorſus vtriuſque factionis refragante conſtat. Alia verò longéque diuerſa fuit S. Fulgentij religioſa vitæ, ac veſtitus ratio, quàm D. Auguſtini. Non equidem ſum neſcius S. Fulgentium Beati Auguſtini ſextum ſupra triceſimum *Pſalmum exponentis diſputatione commonitum, & compunctum*, vt ipſemet Ferrandus denarrat; veruntamen vitæ religioſæ tyrocinium ſub Fauſto Antiſtite ſanctiſſimo poſuiſſe, meridianâ luce clariùs, ex eiuſdem hiſce verbis liquet: *Ad hunc ergo S. Fulgentius, quippe ei notiſsimus alacriter venit, atque votum ſui cordis fideliter indicauit. Ille autem ſciens ſæcularem omnino iuuenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei: Quare, fili, mentiris, vt ſeruos Dei fallere delecteris? Túne eris Monachus, aut antiquam deliciarum tuarum conſuetudinem ſic repentè mutabis, vt eſcarum vilium negligentior apparatus, & veſtium ſordidarum tuum animum non offendat abiectio? priùs eſt vt ſis ſaltem laicus minùs delitioſus, & tunc forſitan credibile putabo, quod renuntiare ſæculo, aut velis, aut valeas.* Hæc & alia pluribus noſter Ferrandus. Fauſto autem ab ingruente Hunnerici perſecutione per diuerſas latebras commigrare coacto, Fulgentius ad vicinum Monaſterium, de ſancti Præſulis conſilio, bonâque veniâ ſeſe recipiens, Felicem primùm Abbatem, tum muneris conſortem,

Baron. tom. 7. Annal. Eccl.

S. Ferr. vit. S. Fulgent. cap. 3.

Id. ibid. c. 4.

poſt

post paulò habuit. Et ne vlteriùs dicendo prouehar, Tertia ratio est, quia singuli Africæ Pontifices (quod alibi etiam factitatum lippis, & tonsoribus notum est) pari, ac Sanctus Augustinus iure, ac potestate suas sibi Monachorum colonias seorsim duxere. Quid enim, amabo te, in reliquos Africæ Coepiscopos iuris? quid imperij habuit? vel (quâ erat animi demissione maximâ vir sanctissimus) vsurpare voluit, potuîtve Augustinus, vt illi apud suos, suisque in oppidis Monasteria, non nisi de ipsius vnius nutu, veniâ, & disciplinæ legibus instituere, simul & Monachorum cogere sodalitates vel possent, vel auderent? Quod tamen ab ipso Diuo Augustino pro sua potestate, arbitrio, & studio pietatis, non sapienter modò tentatum; sed etiam apud Hipponenses feliciter confectum longè antè illi cognouerant. Ita enimverò S. Faustus Episcopus, de quo iam diximus, S. Aug. sui extruendi Monasterij copiam sibi fieri postulauit? Ita enimverò Felix Abbas sui condendi cœnobij facultatem à Diuo eodem accepit facultatem? scilicet is, qui Monasterium Viuerensi littori proximum, Vennensi autẽ maximâ ex parte contiguum ædificauerat, & ad quod S. Fulgentius honoris gesti pertæsus se recepit, à S. Aug. veniam obtinuerat? scilicet ipsemet S. Fulgentius domos cœnobiticas, siue ante, siue post susceptas, Ruspenses infulas, siue exul, siue denique moriturus obtentâ priùs à D. Augustino, (inter mortales enim iam pridẽ esse desierat) facultate construxit? Quarta demum ratio est, quia neque Faustus, neque Felix, neque Fulgentius à S. Augustino viuendi leges acceperunt, de quibus apud historicos altissimum est silentium, imò quas constat fuisse longe dissimillimas. An in S. Augustini familiâ nomen *Abbatis*, & dignitas, vt in S. Fulgentij, & aliorum præsulum Africanorum Monasteriis, fuerunt vsitata? minimè gentium. An eadem vitæ, victus, vestitúsque S. Augustini, & beati Fulgentij ratio fuit haud qua-

Ibid. cap. 8. & 14.

Ibid. cap. 19. 28. 30.

Ibid. cap. 8. 10. 14. 15. 19. 22. 29.

quam hoc concesserit, quisquis tam Diui Augustini & Possidij, quàm Ferrandi nostri scripta peruolutauerit. Enimverò victus is Augustino fuit, *vt mensâ vsus sit frugali, & parca, quæ quidem inter olera, & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum adhibebat; quia nouerat, & docebat, vt Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*, &c. *Beatissimo verò Sacerdoti Fulgentio nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere; sed sola simpliciter olera, ptisafanas, & oua, quandiu fuit iuuenis sine oleo: postquam verò senuit superfuso oleo manducauit: Ideo oleum persuasus accipere, ne caligo prænalens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem semper sanus abstinuit. Si quando verò compellente infirmitatis necessitate vino modico vti compulsus est; calicibus plenis aquâ, superfundens aliquid meri, nec saporis eius, nec odoris iucunditate fruebatur.* Vestitus autem longè fuit diuersissima ratio. Primùm ob colorem, quem sic describit ipsemet Augustinus. *Nos, qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram Crucis, & nomen sanctæ religionis habemus, nigram etiam vestem humilitatis & pœnitentiæ.* Quod aliis sermonibus ad fratres habitis, & ab vniuersis sancti Augustini familiis pene vulgò receptis, laudatis, & approbatis, compluries S. Doctor inculcabat, ipsíque Eremitæ Augustiniani non admittunt modò quàm libentissime; sed etiam mordicùs tuentur, atque adeò cùm ex veterrimis picturis, tum ex Pontificiis rescriptis, simul ex variorum historicorum monumentis luculenter confirmant. S. verò Fulgentius *casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec Monachos suos habere permisit: subtus casulam nigello, vel lactinio pallio circumdatus incessit.* Hoc est, colore natiuo lanæ, seu nigra, seu alba foret, infecto pallio, provt ferebat necessitas, vel opportunitas, vel casus, consueuit amiciri. Secundùm ob formam,

Poss. vit S. August. c. 22.

S. Paul. 1. Timoth. c. 4. v. 3. Vid. S. Augustin. lib. 10. Conf. c. 31.

S. Ferr. vit. S. Fulg. cit. c. 18. init. & sub fin.

S. August. serm. ad ff. de cœn. Dom. de fil. prodigo, & de Obed. ad sacerd.

Ambr. coriol. in reg. S. August. Marq. Crusen. &c. S Ferr. loc. supr. cit.

vt enim proximè audiuisti, casulam circumferebat Fulgentius, non cucullam; è contrario Augustinus, vti Ambrosius Coriolanus passim, aliíque Augustinianæ vitæ professores affirmant, quibus beatum Antoninum verba S. Augustini, vt quidem credidit, conceptissima referentem adiunge. Tertium, Diuum Augustinum pallio circumamictum legi nunquam. S. autem Fulgentius *quando temperies aëris inuitabat, solo pallio intra Monasterium est coopertus.* Quartùm, idem *vnâ tantùm vilissimâ tunicâ, siue per æstatem, siue per hyemem patienter indutus* memoratur: de tunicâ Diui Augustini ne verbum quidem. Mitto dicere orario S. Fulgentium, sicut omnes Episcopos, nunquam vsum. Quintùm, beato Augustino *calceamenta & lectualia*, vt loquitur Possidius, *ex moderato & competenti habitu erant*, Fulgentio quæ? Audi Ferrandum. *Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, vt nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut vilissimis caligis tempore hyemis, aut caligulis in tempore æstatis vteretur. Intra Monasterium sanè interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat.* Sextum, & vltimùm, S. Augustinum *cochlearibus tantùm argenteis vtentem* lego, *cætera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testacea vel lignea, vel marmorea erant, non tam necessitatis inopiâ, sed propositio voluntatis.* De Beati Fulgentij suppellectile, nihil simile vspiam me legere memini. Ex quibus omnibus nonnemini conficere in promptu est, neque S. Fulgentium, neque Ferrandum nostrum cùm domesticâ, tum religiosâ institutione Diui Augustini alumnos extitisse: licet non inficias eam, vtrumque non pauca laudabili tanti Præsulis exemplo, imitatione ac piâ æmulatione perquàm similia vsurpasse. Cæterùm quod Venerabiles Patres Augustiniani Ferrandum in suam familiam cœlo iam donatum vltro asciscere, & adoptare voluerint, non illibenter fero; quinimo beato Cœliti gratulor, quàm qui maximè, quòd id honoris cum sexcentis aliis, vt

Ibid. loc. cit.

Poss. loc. supr. cit. S. Ferr. ibid.

Poss. ibid.

ita dicam, viris illustribus adeptus sit mortuus, quod ne cogitatione quidem optauerat viuens.

Capvt V.

Diaconatus, & Archidiaconatus Carthaginensis.

A Monacho in Clericum, à Clerico in Diaconum, & à Diacono in Archidiaconum Carthaginensem, quasi per certos gradus euasit tandem Ferrandus. Primis enim ab Ecclesiâ vix primum natâ sæculis, Monachos extra Clerum fuisse longè certissimum est. S. Dionysius Areopagita, Patrum, antiquissimus, Apostolorum discipulus, ac suppar docet τὴν μοναχικὴν τάξιν, οὐκ εἶναι προσαγωγικὴν ἑτέρων, ἀλλ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν ἐν μοναδικῇ, καὶ ἱερᾷ στάσει, καὶ πρὸς αὐτῶν ὡς ὀπαδὸν εἶναι τὴν θείαν τῶν κατ' τὴν ἱερῶν ἐπιστήμην ἐνθέως ἀναγομένην; *Monachorum ordinis non esse alios deducere; sed in se, ac per se perstare in singulari, sanctóque statu, sacerdotum ordinem affectantem & ab eis ad diuinam sacrorum, quæ illum attingunt, scientiam facilè traduci: quamuis*, vt post pauca profitetur, οὐδὲν, ὃ τῆς μέσης τῶν τελουμένων τάξεως, ἀλλὰ τῆς πασῶν ὑψηλοτέρας, *sit non medij eorum, qui perficiunt ordinis, sed omnium summi.* Ea propter Episcopi frequenter, provt ferebat necessitas, optimos, & peritissimos quosque deligebant, quos è Monachico ordine abstractos in Clericorum numerum transcriberent. De sancto Augustino quid referat Possidius: imò quid de se ipse memoret sanctissimus Antistes, disputans, an Monachi, qui sponte à Monasteriis defecerunt, alibi in Clericorum album adscribi debeant? audiamus. *Ipsis enim facilis lapsus, & Ordini Clericorum fit indignißima iniuria, si desertores Monasteriorum ad militiam clericatus eligantur, cùm ex his, qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores, & meliores*

S. Dion. Areop. lib. de Eccl. Hier. c. 6.

Poss. supr. cit. S. Aug. ep. 76. ad Aurel.

meliores in Clerum assumere soleamus, nisi fortè, sicut vulgares dicunt: Malus Choraula, bonus Symphoniacus est. Ita tidem ipsi vulgares de nobis iocabuntur, dicentes: Malus Monachus, bonus Clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam graui contumeliâ dignos clericos putemus, in quorum numero sumus; cùm aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Ecce tibi, quibus instructi disciplinis, & quibus ornati virtutibus è Monasteriis assumebantur ab Augustino Monachi, vt in Clericatus ordinem promouerentur.

Hæsit præeuntis Beati Augustini vestigiis atque sententiæ Diuus Fulgentius. *S.Ferr.vit. cit.c.19.* *Clericorum* enim *si qua defuerunt ministeria reparans* (do verba Ferrandi) *probatos sibi multos ex fratribus Monachis ad Ecclesiasticam militiam transtulit*: & ne raros autumes illos extitisse, subdit: *penè omnes Clericos ex illo Monasterio ordinat.* Quanta Deus bone! in religiosâ illa familiâ debuit vigere sanctitas, quantus rigor, vigórque disciplinæ! quandoquidem sanctissimus ille Pontifex quos in Monasterio excellentiore virtute conspicuos nouerat, in Clerum, quò sacra mysteria ampliori Maiestate, ac sanctimoniâ peragerentur, seu volentes, seu nolentes asciscebat. Vnum ex omni numero Ferrandum, sibi ob eximia virtutis, doctrinæque decora longè carissimum ad Clericatus ordinem consentiente ipso euectum fuisse in coniecturâ quidem, at certè illâ nec leui, nec temerariâ positum est. Hoc primo Clericatus gradu potitus, doctrinæ, virtutísque fama, longè latéque per Africam notissimus ad sublimiora seruabatur. Par enim erat, vt ex Concilij Cathaginensis quarti sanctione, *ipse iam Clericus inter tentationes persecutionis Africanæ, officio suo incubans gradibus sublimaretur, & ad Diaconatus ordinem subueheretur.* *Conc.Carthag. 4. cap.42.* Id verò factum perquàm fideliter ac sapienter, cùm ad altiores dignitatum gra-

dus sensim posteà conscensurus à Bonifacio, id temporis Episcopo Carthaginensi, & Primate, creatus est in Ecclesiâ Carthaginensi *Diaconus*. Non enim Antistes optimus minoris faciebat discipulos, quàm Magistrum, quem *apud Burnos Ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractantem expectauit, quoniam tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lachrymis irrigaret, gratias agens Deo, cuius gratia semper in Ecclesiâ Catholicâ summos excitat, præclarósque Doctores.* Qualem futurum Ferrandum spes erat, quem Ecclesiæ suæ *Diaconum* crearat, siue, vt interpretis loco eius Epitaphium loquitur, *Ministrum.*

S.Ferr. cit. c. proximè citato.

Annos te multos fruitur Carthago Ministro.

Eundem dignitatis titulum ipse sibi tribuit Ferrandus, litteris ad S.Fulgentium datis, quē in hæc verba salutat. *Domino beatissimo, & cum omni veneratione suspiciendo Patri, Fulgentio Episcopo, Ferrandus Diaconus in Domino salutem.* Eidem titulum Diaconi reponit Fulgentius super propositis duabus de Baptismo Æthiopis quæstionibus respondens, dum ait. *Domino venerabili, & in Christi charitate plurimùm desiderabili, sancto fratri, & Condiacono Ferrando, Fulgentius seruorum Christi famulus in Domino salutem*, & post pauca: *sicut*, inquit, *Ecclesia Carthaginensis, in quâ iam, Deo propitio Diaconus militas, consuetudo poscebat*, &c. Aliâ pariter epistolâ de quinque quæstionibus consultus sic infit: *Epistola tua, sancte frater, & Condiacone, Ferrande, lætificat cordis mei simul & excitauit affectum.* Præterea Ferrandus, *Dominis beatissimis, & deuotis obsequiis venerabiliter prosequendis, sanctis fratribus, & Condiaconis, Pelagio, & Anatolio Ferrandus exiguus salutem plurimam dicit.* Hinc velis conficas, quanta foret ea Ferrandi nostri dignitas, quem non puderet se, in eodem Diaconatus gradu æquiparare duobus Ecclesiæ Romanæ Diaconibus, quos *Diaconos Cardinales, & Regionarios* olim appellare solitos memorat

Id. ep. ad S. Fulg. de baptis. Æthiop.

S.Fulg. respons. ad ep.cit.

Idem.

S. Ferr. ep. ad Pelag. & Anatol.

Baron. ad ann. 34. & 112.

Baronius

Baronius, & quos ne in maximis quidem ciuitatibus, ſeptenarium numerum exuperare debere iuxtà Apoſtolorum diſpoſitionem, ex Concilio Nouacæſarienſi tùm Ferrandus, tùm Creſconius retulerunt. Creſconius autem *Canonum Breuiatum à viro reuerendiſsimo Ferrando, Carthaginenſis Eccleſiæ Diacono, iam fuiſſe digeſtum, & debere eum noſtræ eruditioni ſufficere*, apud Liberinum profitetur. Facundus autem Hermianenſis æquè, ac Creſconius, in Africâ Epiſcopus, *Laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrandum Carthaginenſem Diaconum* laudat. Ad ſummam hoc vno titulo à Scriptoribus Eccleſiaſticis vulgò inſignitur.

Concil. Nouocæſ. tit. 13.
S. Ferr. breuiat. can. 104. & poſt illũ Creſc.
Idẽ Creſc. præfat. ſui Breuiar.
Facũd. lib. 1. cap. 3.

Vnus tamen Iulianus, Archipreſbyter Toletanus ipſum *Archidiaconum* appellitauit in hunc modum: *Ferrandus, qui in Sede Carthaginenſi Archidiaconus fuerat, ſcriptor nobilis.* Plurimum ab hoc honoris titulo, Ferrando gloriæ acceſſit. *Archidiaconum* enim vocarunt maiores noſtri eum, qui primas inter Diaconos teneret, vt illa Diui Hieronymi verba luculenter docent: *Diaconi eligunt de ſe, quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent.* Hinc eſt, cur S. Stephanus inter ſeptem Diaconos à Lucâ vocatus eſt *primus, ſicut inter Apoſtolos Petrus*, inquit Auguſtinus, & à S. Luciano, ſimul & in Miſsâ Æthiopum, à Sacerdote orationem benedictionis pronuntiante, *Archidiaconus* vocetur & inuocetur. Romæ Laurentium, Cæſarauguſtæ Vincentium, & alios numero penè infinito *Archidiaconos* appellare prætermitto. Satis enim ex hoc vno *Archidiaconi* elogio, quis, quantuſque Carthagine Ferrandus extiterit, intelligi ab omnibus poteſt. Verùm poſt illam titulorum lucem, ipſum in exilij tenebris, & ſquallore iacentem tantiſper contemplemur, dum rurſus in maiorem & auguſtiorem, ex hiſce tenebris, diuinitùs emergat lucem.

Iulianus Chron. ad ann. 494.
S. Hieron. ep. ad Euagrium.
S. Luc. Act 6. v. 5.
S. Auguſt. ſerm. 94. de diuerſ.
S. Lucian. epiſt. de inuent.
S Stephan. Miſſ. Æthiop.

Capvt VI.

Exilium in Sardiniam, indéque in Africam regreſſus.



Exvlasse in Sardiniam Ferrandum cum S. Fulgentio, ſuo in ſpiritu parente optimo, ipſius hæc Epitaphij verba proloquuntur:

Qui fueras exul, & pia turba ſimul.

Tréſque præcipuæ perſuadent rationes; quarum prima eſto: *Cùm Traſamundi Regis aduerſus religionem Catholicam mens implacabilis, & ira terribilis deſæuiret: repentè diriguntur miniſtri regalis furoris* (verba do Ferrandi) *vt detentus etiam ipſe Fulgentius cum cæteris in exilium Sardiniæ Confeſſor Chriſti nobilis truderetur*, &c. *Comitantibus ergo Monachis ſimul, & Clericis, magiſter egregius vtriuſque profeſſionis, exit omnibus flentibus laicis, de cathedrâ honoris ad locum beati certaminis; paratus fidem Catholicam mente liberâ, voce forti, coram Regibus & poteſtatibus confiteri.* Abſueritne à tam pio & triumphali comitatu, & à tam charo capite, & parente Ferrandus? Diſcipulus Magiſtrum, Clericus Epiſcopum, amatus amantem ſe, fœdifragus deſeruerit? haud puto. Secunda ratio hæc eſto. Probabiliùs cenſet in Ferrandum ipſum æquè, ac in D. Fulgentium, & in ſexaginta, eòque ampliùs Epiſcopos, exilij fuiſſe dictatam ſententiam, & vnà cum illis in exilium abiiſſe.

S. Ferr. vit. cit. cit. cap. 20. & 21.

Duo hîc aſſero totidem adductus argumentis. Priore quidem, quòd Ferrandus ex omnibus vnus eſſet à ſuo magiſtro, qui Arianam factionem doctrinâ ſuâ, ſtylo, linguâ, vitæque ſanctitate debilitare, ac penitùs eneruare ſatagebat. Poſteriore verò, quod antequàm S. Fulgentius in Sardiniam deportaretur, Carthaginem abductus ſit. *Suſcepit eum Carthago venientem, fructúmque notitiæ eius in paucis ſuis fideliter guſtans, multa obtulit munera*

Idem loc. cit.

nera, quæ Beatus Fulgentius Monasterio illi, quod fabricari delegauerat, profutura mandauit. Ipse verò nauim, crucifixo corde, & corpore nudus ascendit. At tum temporis Ferrandus noster Diaconum, vel fortè Archidiaconum agebat Carthagine: vnde Magistro suo comes exilij additus, cum ipso, & ab ipsius societate haud paulò lætior, & gloriosior factus, *Nudus cum nudo, crucifixo corde, & corpore*, triumphanti persimilis nauim conscendit.

Tertiam rationem, quantùm coniectando consequi possum, hanc adiicio minimè contemnendam. Quoniam Ferrandus, teste Maximo Cæsaraugustano, S. Fulgentij familiaris olim extitisset; hoc est, domesticus, & ex familiâ sanctissimi Præsulis antè fuisset quàm ad Diaconatum Carthaginensem euocaretur. Vox enim *familiaris* apud optimos quosque, ac perantiquos Latinæ linguæ Proceres; & (vt istos missos faciamus) etiam apud Ecclesiasticos Scriptores, eo sensu vulgò vsurpata fuit. Istud autem manifestè significant hæc ipsissima Ferrandi verba, Felicianum Episcopum alloquentis: *in illo paruissimo Monasterio, quod sibi apud Sardiniam, pro Christi nomine relegatus effecerat B. Fulgentius, vbi iam tu Presbyter habitas, diebus, ac noctibus ante eum positus vixi, quando me super mel, & fauum dulciora cælestis eius eloquij flumina frequenter irrigabant.* Quid in domestico, & familiari vltrà desideres, quàm vt *diebus, ac noctibus ante Magistrum positus viuat*? quàm vt eiusdem sermonum assiduus adstet auditor? quàm vt ab eo, simul cum Feliciano S. Fulgentij successore *nutritus sit*? quemadmodum ibidem loquitur. Exulauit ergò pia illa sanctissimorum, iuxta ac doctissimorum virorum cohors, alente illam Symmacho Papa, vt quidem Anastasius Bibliothecarius hunc in modum testis est: *Hic omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecuniam & vestes ministrabat.* Vt hinc intelligas, quâ charitate Sedes Apostolica semper

Id. in Prolog. vit. S. Fulg.

Anast. Biblioth. in Sym. Pap.

complexa sit illos, qui pro Christo cum fidei hostibus in arenam descenderunt.

S.Ferr.vit. cit.c.16. Initium verò tam iniustæ deportationis hinc fluxisse tradit noster Ferrandus, *quia tunc regalis authoritas Episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere pastores licebat*, &c. Per id tempus S. Fulgentius post Idem c.17. latebras, fugámque, nihil minùs sperans, *aggregatâ multitudinis manu, repentè, dolens oculos in cellâ propriâ reperitur: inuaditur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, qui admonitus fuerat, ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi* (Ruspensis nimirum) *constituitur Pater, ita vt in illo propheticum illud compleri videretur oraculum: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi.* Psal.17. v.45. Cùm ergò Pontificio suo munere, maximâ cum sanctitatis, doctrinæ, ac zeli Apostolici famâ strenuè defungeretur, sæuientis in Episcopos Regiæ crudelitatis procellam in suum pariter innocentis caput detonuisse persensit, maximo sanè Coëpiscoporum, S.Ferr.vit. cit.c.20. *Quos vna catena tenebat exilij, & quorum lingua, & ingenium, beatus Fulgentius Episcopus fuit*, solatio, vtilitate, præsidio. Huic indiuisus adhæsit exilij socius, Diaconus noster Carthaginensis, ne ab eo abesset corpore, cui semper animo fuerat præsens.

Idem ibid. cap.21.& 24. Nec semel tantùm Ferrandum exulasse suspicio est. Cùm enim S. Fulgentius è Sardiniâ à Trasamundo in Africam postliminio reuocatus, de integro in eandem insulam, vrgentibus nimiùm quantùm Arianis, exilio fuerit pulsus: quidni Ferrandus sancto viro charitate, zelóque fidei coniunctissimus, se illi viæ, laborum, exiliíque socium adiunxerit? quod eò faciliùs creditu est, quò certiùs constat S. Fulgentium, tunc Carthagine, ingenti cum animorum prouentu commorantem, in Sardiniam rursus exulatum abiisse. Verùm vtvt res fuit, si suspicio nostra minus arridet: certè Diaconus noster, & pro Christo Confessor clarissimus, semel in Sardiniam deportatus fuit 3. Kal. Iunias,

nias, anno 504. si Baronio credimus, & laudati Epitaphij conditori, cuius hi sunt versus, pro illius æui moribus, satis inconditi:

Tricenâ tandem Maij sub luce Beatus
Qui fuerat exul, & pia turba simul.

De quo iure dixero, quod Venantius Fortunatus de S. Hilarij scripsit exilio; *In Phrygiam, Asiæ regionem, missus exilio ad augmentum virtutis gratias egit, quia quantùm pro nomine Christi longiùs discedebat de proprio loco, tantùm merebatur fieri vicinior cælo.* *Venant. Fortun. lib. 1. de vit. S. Hilar.*

Ad sacros illos exules, qui tunc florebat, Ennodius eloquentem æquè, ac piam transmisit epistolam, cuius sic se habet inscriptio: *Afris: lucrum forsitan putaret inimicus*, inquit, *si inter pericula, quæ Christianis indixit, credentium animos subegisset, & per diuersa Domini grege disperso, non superesset, vel inter paucos, à quibus possit fide perseuerante calcari. Regnat adhuc ille in numero, qui sibi non tam in multitudine, quàm in deuotione complacuit.* Et, vt reliquam epistolam exscribere prætermittam, ad vltimum in hæc verba concludit: *Quia vestram iam fidem in prælijs Imperator agnouit, fæliciter confessionis munera consummate. Dabit Deus, cùm ipsi placuerit, reducem Ecclesiis quietem, vt mærorem, quem induxit aduersitas, pacis dulcedine consoletur.* Quibus extremis, vt vides, verbis, nostras, idémque Ticinensis Ecclesiæ clarissimus Antistes, præsago stylo simul, & animo, reducem Africanis Ecclesiis quietem, apertissimè denuntiat, quàm longè antè S. Fulgentius, diuino afflatus spiritu non præuiderat modò; sed etiam secundùm exulaturus prænuntiarat. Etenim Ferrando teste, *prophetica gratiâ per Spiritum sanctum repletus Iuliateo viro religioso nimis afflicto, grauitérque pro discessu beati Pontificis ingemiscenti:* Diutius, *ait*, flere noli, citò reuertemur ad vos, Catholicæ Ecclesiæ libertate reparatâ videbitis nos. *Hoc autem quæso, secretum sit apud te; quod nimia charitas indicare compulit me. Sic sollicitè semper beatus Fulgentius ia-* *Ennod. lib. 2. epist. 14.* *S. Ferr. vit. cit. c. 25.*

Ibid. c. 28. *clentiam fugit*, &c. Vix igitur libros contra Fauſtum dictare deſierat, *cùm protinus eſt longiſſima captiuitatis catena diſrupta. Mors enim Traſamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis. Eccleſiæ Catholicæ per Africam conſtitutæ libertatem reſtituens, Carthaginenſi plebi proprium donauit Antiſtitem: cunctiſque in locis ordinationes Pontificum fieri, clementiſſimâ authoritate mandauit.* Quàm verò feliciter, quóve plauſu S. Fulgentius exceptus fuerit Carthagine noſter Diaconus copiosè iuxta ac Ibid. c. 29. magnificè commemorat. *Ad ſancti quippe Agilei baſilicam ſequens populus, & præcedens beatorum Confeſſorum* (quorum pars magna fuit Ferrandus) *triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi Beatum Fulgentium, quem plus cæteris honorabat, concurrens alacriter comprimebat, donec ſancta quorumdam Chriſtianorum prouiſio rotam in circuitu faciens æſtuanti, liberum præberet iter in medio tranſeunti.* Hæc alia multò plura, & auguſtiora ille, de ſecundo exulum Confeſſorum reditu triumphali, & Chriſti triumphantis in modum Hieroſolymam inuecti ſimillimo, ne dicam illuſtriori. *Tantùm fides nobilium creuit, vt planetis ſuis ſuper Beatum Fulgentium gratanter expanſis, repellerent imbrem, & nouum tabernaculi genus artificioſâ charitate componerent*, &c. Atque hæc acta Carthagine, vbi noſter Ferrandus Diaconatus dignitate, vt dixi, præfulgens, atque ab exilio redux, in partem haud dubiè honoris, ac triumphi cum Magiſtro ſuo veniſſe credendus eſt.

Pericula verò, de quibus Epitaphij iam ſupra laudati ſcriptor meminit in hæc verba:

Inde tamen Libyam repetens per multa pericla.

Ipſemet Ferrandus altiſſimo preſſit ſilentio, ſiue quia dicendi compendio vti maluit, ſiue quia operæ pretium minimè cenſuit ea recenſere, cùm, vel ipſo ſilente, ſatis res ipſa proloquatur, ab infidiſſimo elemento nauigantibus pericula paſſim creari longe frequentiſſima.

Cæterùm

Cœterùm peræquè terrâ, & mari vitæ discrimen Diaconum nostrum cum inuictâ illâ beatorum Confessorum manu incurrisse, non est dubitandi locus, si vel exilij locum memineris, Sardiniam, inquam, à pestiferis auris Europâ totâ infamem insulam, quo Africanus ille tyrannus, de veterum ingenio, sanctum Archidiaconum, cum sacrâ Pontificum cohorte deportandum curarat; vel hæreticorum insidias recorderis. *Vid. Notas in 7. dist. elog. S. Ferrand. infr.*

Capvt VII.

Hæreticorum in Ferrandum odium, & eiusdem aduersus illos zelus.



Epvlchrale Ferrandi piis manibus positum elogium manifestissimè docet, sanctissimum Orthodoxæ fidei propugnatorem apud hæreticos odio plusquam Vatiniano, imo Auernali laborasse. Illud audi:

Hæreticis noménque tuum, celebrésque libelli
Exosi, quòd tu Malleus hæreticis.

Odium vides Heterodoxorum in Orthodoxum Doctorem implacabile, neque minus cœcum, quàm iniustum. Oderant hæretici Diui Ferrandi eruditissimas elucubrationes; magnum hoc simul & cœcum: oderant lucem quam amare debuerant; oderant mortiferi veneni antidotum, quod vsurpare debuerant: oderant vitam, quam in beati Ferrandi libellis inuenire, atque ex illis haurire debuerant: oderant & ipsum Ferrandi nomen, quod longè maximum, & iniustissimum est. *Oditur ergò*, inquit Tertullianus, *in hominibus innocuis etiam nomen innocuum?* Ea fuit aduersus Gentiles Septimij æquissima sanè querela, quos non pudebat *Christianum hominem, omnium scelerum reum, Deorum, Im-* *Tertull. Apolog. cap. 3.* *Ibid. c. 2.*

peratorum, Legum, morum, naturæ totius inimicum existimare, odij cœcitate: hac vnâ de causâ, quòd, etsi nullius criminis reus esset, à *Christiani* tamen nomine, quod præferebat, & quo solo gloriabatur, ex innocentissimo confestim euaderet mortalium nocentissimus. *Nomen valde infestum est, si solius nominis crimen est*, infert Tertullianus. *Nunc igitur si nominis odium est, quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum, nisi aut barbarum sonat vox aliqua nominis, infestum, aut maledicum, aut impudicum: Christianus verò quantùm interpretatio est, de vnctione deducitur. Sed & cùm perperam Christianus pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate, vel benignitate compositum est.* Χρηστὸς *enim suauem, bonum, commodum, benignum, clementem, frugi, & ad gratificandum omnibus facilem, strenuúmque significat*, vt cum illo, & alij omnes Christianæ religionis propugnatores acerrimi, Iustinus, Lactantius, Orosius, Athenagoras, Arnobius, Minutius, & qui non veteres pro Christianis Apologiarum scriptores? Paganis maximâ laterum, stylíque contentione obiecerunt. Eodem iure cœcum, & iniustum hæreticorum odium aduersus B. Ferrandum fuisse possum asserere, dum vel ipsius nomen exosum habuerunt, quod *à celebritate, famáque nominis, vel à fortitudine* conflatum esse, opportuniori dicemus loco. Cœterùm Acephalos, Nestorianos, Donatistas, Eutychianos, Arianos, & alia id genus hæreticarum factionum monstra, quotquot id temporis vixerunt, infensissimas sibi ad vnum omnes inuictissimus heros passus est, quásque factiones *metu mortis intrepidus destruxit*, vt de S. Augustino, S. Hilarius scripsit. Illos enim lingua, stylo, precibus ad Deum fusis, tanquam *Malleus* contudit, & eorumdem vires infregit perquàm feliciter. Quo autem pacto *Malleus hæreticorum* dictus sit Ferrandus, alibi disputabo.

Ibid. c. 3. cit.

Vid. Not. cit. in 1. dist. eleg. sepulch.

S. Hilar. epist. ad Amat.

Vid. Not. cit. in 3. dist.

Nunc, quàm graui odio, vel potiùs ardenti zelo vir sanctissimus, idémque *fidei defensor* inuictissimus hæreticos

ticos fit profecutus, nec meliùs, nec veriùs intelligas, quàm ex eiufdem calamo, & oratione. Primò quidem Diaconus nofter Comiti Rhegino (quem Reginum latiniùs fortè dixeris, fcripferífque) de fe fcifcitanti, qualis effe debeat Dux religiofus in actibus militaribus, fuadere fatagit, ne hæreticis propudiofo, & impio palpo, vel metu adblandiatur: *Si plures*, inquit, *in exercitu fortiſsimo reperiantur hæretici* (vt tum mala, & ferrea ferebant tempora) *infidelitatis fententiam falfam pertinaci animofitate vendicantes; & propter hoc hæreticis parcere, vel confulere dux Catholicus fuadeatur, aut nefandi erroris prædicatoribus, exercendarum licentiam tribuere blafphemiarum; patienter ferens propter fcandalum, quod pati formidat, etiam eos lauacro fecundi baptifmatis polluit, iam femel renatos. Nempe tam malæ fuafioni confentiens, licèt aliquam videatur vtilitatem bonorum temporalium præftitiffe fubiectis, fibi interim nocuit, dum de adiutorio Dei minus fperaffe iudicatus, interdum deteriora, quàm formidat, pericula tolerat, nec in fuâ fide conftans exercet competenter zelum religionis, nec euadit ruinam grauiſsimæ tribulationis, quia præpofuit terrena cæleftibus, & voluntatem Creatoris offendere nullatenus dubitauit, placere volens hominibus mente corruptis. Beatus ergò eris, fi militaribus actibus occupatus, pro fide verâ, quam tenes, nemini blandiaris.* Secundò, ne hæreticis Orthodoxæ fidei obloqui, *& aduerfus eam canes procedentes ex officinâ mendacij latrare patiatur.* Tertiò, vt fe verè Catholicum, & acerrimum fidei exhibeat defenforem, & hortatorem fimul, & propagatorem: *Principaliter ergò cura tibi fit occupato militaribus actibus, vt fides Catholica femper vincat aduerfarios fuos. Hanc defende inter arma, & gladios: hanc perfuade mentibus armatorum.* Et poft multa, eum *filium* effe afferit *promifsionis quifquis eam vfque ad effufionem fanguinis vindicat. Propterea, Dux optime, & fidelis, tene omnia dogmata eius, prædica, vindica; duc ad eam volentes, compelle nolentes, non dolore fuppliciorum, non metu gladij fæuientis, fed modeftâ correctione, & feueritate plenâ dilectionis.*

S. eFrr. ep. ad Com. Rhegin.

dilectionis. Procul absit timor Diabolo militans. Sciant hæretici quia Catholicus es, sciant Catholici, quia detestaris hæreticos. Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium synagoga, crescat numerus electorum, si gloriosus efficitur, cuius labore dilatantur fines Imperij, quantò gloriosior erit, cuius labore Catholica multiplicatur Ecclesia, &c. Quartò, illum edocet, quâ piâ arte copias suas adducere ad fidem debeat, licet nullos, non modò raros in suo exercitu habeat Orthodoxæ fidei sectatores: *Sed pone, sint forsitan in multitudine exercitus plures hæretici, pauci Catholici: Magis te oportet viris fortissimis niti, vt si gratia Dei respexerit, omnes milites fortissimos facias Catholicos, aut certè paucos dimittas, hæreticos. Parum adhuc loquor, ad illas fortasse missus es regiones, vbi nullum reperias Orthodoxum, vel certè rarissimos ac latentes. Ibi quoque viriliter semina Verbum vitæ ad Christi gloriam; redargue multitudinem perfidorum sine verecundia, sine formidine, sine dubitatione; nec priùs cogites, quomodo eos regas Imperialibus legibus, sed quomodò corrigas colloquiis spiritalibus, territósque nomine authoritatis primitùs doctrinæ sanctæ repugnare prohibeas, deinde paulatim consentire suadeas. Vtile tibi est recta sentire, si alios quoque non deseras in prauitate. Boni Ducis instantia plerunque multis præbuit occasionem salutis. Sed si forsitan desperas illos posse saluari, bonum est saluti conuenientia prædicare, quia voluntatem Deus coronat, non facultatem: seminare pertinet ad officium diligentis agricolæ; supremi est muneris, vt terra fructificet, votísque cultoris sui respondeat.* Quanquam, vt paulò antè dixerat piissimus Diaconus: *Minimè deesse poterunt ex altera parte, quibus placeas in opere bono, quorum corda tibi tenaciùs adhæreant, vbique habet fides vera dilectores suos.* Quintò, quantam gloriæ, roboris, & authoritatis, ex hoc suo zelo, & fidei propagandæ contentione, sit assecuturus accessionem, edisserere his pergit verbis: *Hac planè circa subditos vsus industriâ facile erit potestatibus sublimibus, & ipsis, quorum munere Dux effectus es, Regibus, si quâ fortè contraria veræ fidei senserint, & non cedere po-*

teris, repugnare paratus ad martyrium disces. Alioqui, qui metuens inferiores offendere, minus exequitur causam propriæ religionis, quomodo merebitur, cum Prophetâ Dauid canere: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar? Sextò, demortuorum hæreticorum pestiferam doctrinam æterno premendam silentio, Anatolium vrbis Diaconum monet, neque operæ pretium esse semel à Patribus confixam eorum perfidiam de integro nequicquam, imò periculosè, oppugnare vel damnare: *post Epistolam Beati Leonis*, infit, *& salubria Chalcedonensis decreta Concilij, Sancte Frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione conuinci. Sepultus ergo iaceat in cineribus suis nefandæ hæreseos profanus inuentor. Semel illum fulmine anathematis iudicantium Sacerdotum percussit authoritas: Quid opus est iterùm cadauer exanime gladio veritatis interfici? Doctrinam simul carentem lumine rationis perpetui silentij carcer abscondit. Interdum pessima dogmata, dum quasi expugnanda proferuntur, veneno pestifero simplicium corda perturbant. Satius est ista nescire, fidémque Catholicam supplosis profanis nouitatibus inuiolabilem custodire; manentibus in pristinâ firmitate, quæ sunt etiam synodalibus roborata definitionibus.* Ad extremum eundem Anatolium, vt cum hæreticis, si necessarium videbitur, certaturum ipso iubente se commonefaciat, iubeátque, obtemperaturum se norit, iuuet precibus, atque adeo in arenam secum descendat, impensè rogitat, & precatur. Eius verba sunt: *Si magis necessarium putas hæreticorum mendacia semper refelli, linguam meam iussionis tuæ clauibus aperi; festinabo, quantùm gratia posse donauerit, obedire suauiter imperanti. Præbe dexteram boni fauoris, & orationis scuto nudum protegens pectus, in campum liberi certaminis mecum, si ita placet, egredere: contra acies impias eorum, qui malè occisi conantur hæreditatem vindicare damnosam, sine labore pugnabitur. Nec arma sunt eis noua, nec castra. Muros Apostolicæ prædicationis illis volunt adhuc spiculis debellare, quæ signifer hæreticorum*


Psal. 18. v. 46.

S. Ferr. ep. ad Anat. & epist. ad Pelag. & Anat.

iactauit inaniter, præda factus volatilibus cœli. Hactenus Archidiaconus noster, se valentissimum aduersus hæreticorum coniuratas acies Archistrategum, imo & *Malleum* fore professus est: iam videamus armatum.

CAPVT VIII.

Preces, doctrina, stylus, B. Ferrandi aduersus hæreticos arma.

OPLOMACHVM puta plusquam armis adamantinis vndequaque contectum, ac munitum, Ferrandum nostrum. Quin enim ipsum, quantumuis Diaconum, Dalmaticâ potiùs, quàm loricâ digniorem, valido armorum instructu tectum, & ornatum exhibeam: quandoquidem non semel Doctor Gentium Paulus omni armorum genere Christianum voluit esse instructum, vt possit *stare aduersus insidias diaboli*, & contrarias eludere impressiones? Verùm arma Ferrandi non perfidiæ, sed *fidei*; non odij, sed *charitatis*; non interitus, sed *salutis* fuerunt arma: quoniam *non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis*, vt Apostolicis verbis, & sensu loquar.

Ephes. c. 6. v. 11. & seq. 1. Thessal. c. 5. v. 8. 9.

Primum ergò, ac præcipuum, firmissimúmque armorum genus, *preces* duco, siue quas ipse pro sese, vel pro proximorum salute, vel pro Regis Trasamundi, & aliorum hæreticorum ad fidem conuersione ad Deum fundere consueuerat; vt superius ad Monasticæ vitæ quietem rursum aspirantem retuli ipsum olim scripsisse, referámque deinceps copiosiùs: siue quas ab aliis sibi longè coniunctissimis, S. Fulgentio, Seuero, & Anatolio in paucis, sibi cum hæreticis congressuro, vti proximè memoraui, humiliter emendicabat.

Secundum armorum genus, *doctrinam*, loquor; quæ, qualis,

qualis, quantáque Ferrando fuerit, loquuntur testes omni exceptione maiores, tam veteris, quàm recentioris æui. De hac Facundus Episcopus Hermianensis in hunc modum testimonium dixit: *Venerabiles Pelagius, & Anatolius Romani Diaconi, debitam officio suo & loco sollicitudinem pro Ecclesiâ Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ, Ferrando Diacono Carthaginensi scripserunt, vt habito de hac causâ diligenti tractatu cum reuerendissimo eiusdem Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, vel aliis, quos & zelum fidei, & diuinæ scripturæ sciret habere notitiam, consulentibus responderet, quid obseruandum in commune omnibus videretur*, &c. apud S. Isidorum Hispalensem Episcopum; *Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus multum in sacris Scripturis floruisse asseritur*, &c. Apud Iulianum Archipresbyterum, *Ferrandus in sede Carthaginis Spartariæ vir fuit doctus.* Apud Cresconium, *Canonum Breuiatum à viro Reuerendissimo, Ferrando, Carthaginensis Ecclesiæ Diacono iam fuisse digestum, & debere eum nostræ eruditioni sufficere, ne aliud exquirendo, eius prudentiæ deprehendamur in aliquo derogare*, memoratur. Apud Trithemium, *vir in diuinis scripturis & studiosus, & eruditus, & non minùs sanctitate conuersationis, quàm doctrinâ Venerabilis, fertur quædam viuacis ingenij cudisse volumina.* Et, vt Pithoëi, Sigeberti, Gesneri, Posseuini, & Bellarmini, aliorúmque similium testificationes obuoluam silentio, abundè mihi fuerit referre Baronium profitentem Ferrandum, *In quarti sæculi fine, magno splendore claruisse, non Carthagine tantùm, sed in vniuersâ Ecclesiâ Africanâ, dignum planè tanto institutore, Fulgentio discipulum, licet non æquauerit præceptorem: de quæstionibus consuli solitum difficillimis; virum huius temporis doctrinâ insignem; ad vltimum sicut Ferrandus monuit, ita factum à Iustiniano Imperatore, vt, cùm assereret vnum de Trinitate passum, multa præmiserit, & rursus multa subiecerit, quæ omnem possent de subdolâ captione suspicionem auferre.* Tanta nimirum fuit Ferrandi nostri non recondita solùm eruditio, verùm etiam eruditionis fama, &

Facund. lib. 4. pro defens. triũ capit. c. 3.

Isid. lib. de vir. illustr. c. 17.

Iulian. Chron. cit. sup.

Crescon. sup. cit.

Baron. tom. 5. Ann. Eccles. ad ann. 419. n. 90.

Idem ad ann. 529. n. 10.

Idem ad ann. 533. n. 30.

apud doctissimos quosque authoritas, & in soluendis difficillimarum quæstionum nodis facilitas, & sententiæ pondus. Id verò confirmant Concilia, quibus cum laude interfuit, eius denique opuscula posteritati mandata nimiùm quantùm potenter euincunt.

Tertium armorum genus, *linguam eloquentem* intelligo. Eloquentiam autem Beati Diaconi, loquor, non eam pigmentis oblitam, calamistris inustam, delibutam vnguentis, eneruem. atque exuccam: sed qualem decet sanctissimum Ecclesiæ Doctorem, & fortissimum Orthodoxæ fidei defensorem, synceram, neruosam, & plus in recessu, quàm in facie habentem. Quòd Ferrandus noster Africanos Episcopos à voluntate approbandi primùm Iustiniani Imperatoris decepti rescriptum, Orthodoxæ fidei perquàm iniurium, ipse auocauerit; imò & ipsemet Imperator sententiam mutauerit, correxerit, correctámque ad Pontificem transmiserit (vti ex Baronio proximè retuli) illius potentissimæ facundiæ fuit. Quòd tam eruditas, graues, ingeniosas, & vtiles ad varios, siue consulens, siue consultus dederit epistolas, illius vberrimæ facundiæ fuit.

Quartum armorum genus, quibus aduersus hæreticarum partium factiones pro fide propugnandâ, & ad Ecclesiæ decus augendum Ferrandus beatissimus est vsus, *stylum* numero, quem exercuit cum multorum laude, ac fructu, vti capite sequenti ostendo.

CAPVT

CAPVT IX.

Libri à Ferrando iu lucem editi.


LIBENTER audio Ferrandum à Iuliano Archipresbytero Toletano, *Scriptorem nobilem* appellari; nec immeritò sanè, pluresenim edidit viuacis ingenij sui fœtus. *Iulian. Chron. cit. ad annum 494.*

Ac primò *Breuiarium*, seu *Breuiationem Canonum*, de quâ Cresconius proximè à nobis laudatus meminit, & *Breuiatum* vocat, sicut Bellarminus, *Compendium sacrorum Canonum*; Pithœus, *Canonum Indiculum*, & Baronius, *Collectionem Canonum*. Quo autem consilio, quòve suasore, in illud opus Ferrandus incubuerit, non admodùm difficile fuerit affirmare. Primùm enim nobis aperuit hisce verbis Cresconius: *Antefatus Venerabilis vir ad conseruationem memoriæ eorum hoc effecisse noscitur Breuiatum, qui illa ipsa iam bene cognita perceperant, quò per eum, cùm voluerint, quæ cupiunt, recordentur: indoctorum verò, quorum est maxima multitudo, in eodem opere studium probatur, vt ita dixerim, sequestrasse; dum eos ad inquisitionem earum rerum præmisit, quæ nec ab omnibus reperiuntur, nec reperta sine fastidio perleguntur. Nulli siquidem dubium est, quàm molestissimè perferat lector, dum auidiùs cuiusque rei cognitionem expectat, & ad librum præmittitur, quem aut fortè non legit, aut vbi reperiat, non nouit.* Suasorem verò ad id operis suscipiendum (quod alterum quæri potest) fuisse, crediderim tum Bonifacium Carthaginensem Primatem, à quo è Monachismo ad Clericatum fuerat euocatus; tum S. Fulgentium institutorem suum, denique cœtum exulem Pontificum, qui in Africam postliminio reuocati beneficio Hilderici clementissimi Regis, pro patre incipientis regnare, prouinciam Ferrando imposuerunt hoc, quo de agimus, *Breuiarium*

Crescon. loco sup. cit. Bellarm. li. de script. Eccl. ann. 504. Pithœ. in præfat. ad eiusd. Breuiar.

Correctiùs; *vt infr.* remisit.

Fortè meliùs legas, remittitur *vt suprà.*

condendi, ad disciplinam, morésque Ecclesiasticos à præteritâ persequutionis procellâ labefactatos, restaurandum, & ad sacrorum Canonum normam exigendum. Placet, super hac breuiatione Ferrandi, opinio Pithoëi existimantis *Omnium eius instituti antiquissimum esse; cui saltem debebit Gratianus restitutionem loci sui, hactenus vel in Romanâ illâ recognitione grauiter laborantis; quem ex vno Ferrando tandem aliquando sanandum didiscimus*, &c. Vtvt sit, in hoc Canonum Breuiario ducenta & triginta duo capitula continentur, quæ Flauinus Franciscus de Hautesere notis, & animaduersionibus illustrauit. De reliquo Archidiaconum nostrum in sacris Canonibus fuisse versatissimum tam ipsa breuiatio, quàm hæc ad S. Fulgentium scribentis verba, meridianâ luce clariùs ostendunt: *Video in hoc articulo vsitatam Canonum proponi sententiam, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valeant; sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari*, &c. Citat autem super hac difficultate, Concilium Carthaginense in suo Breuiario Ferrandus.

Pith. sup. cit. Gratian. dist.63.

S. Ferr. ep. de baptis. Æthiop. & in Breu. Canon. cap. 202.

Conc. Carthag. tit. 41

Secundò Epistolam dedit ad S. Fulgentium Ruspensem Episcopum institutorem suum, quem super salute Æthiopis moribundi, maximâ cum animi demissione consulit, rogátque priore loco, *Vtrùm nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox illa ablata nocuerit?* Posteriore loco, *Vtrùm noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo, potûque fraudetur?* Cui Epistolæ Beatus Fulgentius pari humilitate respondens ait, *Quoniam igitur semel ad vtraque nos respondere charitas imperat, dignum est, vt imperanti charitati charitas libenter obediat*, simúlque Diui Ferrandi postulatis eruditâ, benéque longâ responsione facit satis, quæ iam omnium manibus teritur typis mandata.

S. Ferr. ep. prox. cit.

S. Fulgent. epist. resp. ad cit. ep.

Tertiò alteris literis eundem S. Fulgentium super quinque grauissimis quæstionibus consulit. Prima: *Vtrùm*

Vtrùm Trinitas inſeparabilis , &c. *dici debeat ſeparabiles habere perſonas ; an etiam in perſonis ſit omninò inſeparabilis prædicanda ?* Secunda : *An in Chriſto dici poßit nata ; paſſa, mortua , crucifixa Diuinitas ?* Tertia : *Vtrùm anima Chriſti ſuſceptricis Deitatis plenam habeat omninò notitiam.* Quarta: *Quare in orationibus Sacerdotum : per Ieſum Chriſtum filium tuum , Dominum , qui tecum viuit , & regnat in vnitate Spiritus ſancti , per vniuerſas penè Africæ regiones Catholica dicere conſueuit Eccleſia ? tanquam ſolus filius cum Patre poßideat regnum* , &c. Quinta , *Nunquid* in extremâ cœnâ apud Lucam , *Vnus calix ſecundò eſt datus , an alius priùs , alius poſteà.* Prodiit pridem ad iſtiuſmodi quæſtiones docti diſcipuli perquàm erudita Magiſtri , Fulgentij reſponſio in lucem edita. Ipſe viciſſim Fulgentius eidem Ferrando librum de Continentiâ coniugali nuncupauit.

S. Ferr. ep. de 5. quæſt.

Luc. c. 22. v. 27.

S. Ferr. ep. ad Eugip.

Quartò , Epiſtolam ad Eugippium Preſbyterum, de Trinitate , ac de duabus Chriſti naturis, tranſmiſit, quâ Epiſtolâ cùm Arianiſmi iugulum petat , dolendum eſt ſummoperè ipſam mutilam , atque truncatam ad poſterorum manus veniſſe. Coniecturâ non leui adducor, vt credam eam fuiſſe catechiſticam , quâ reſpondere, imò & docere Comitem Arianum voluit ſuper hac, quam nuper propoſuerat , quæſtione Ferrandus noſter ſalutis animorum ſcientiſſimus. De hoc Eugippio conſule Card. Baronium , apud quem leges ipſum magno fuiſſe Fulgentio familiaritatis vſu coniunctum.

Baron. ad ann. 504. N. 57.

Quintò , vnis literis perquàm copioſis , æquè ac doctis , Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum, hoc eſt , cauſis agendis addictum , ſimul & eleganti ingenio , boniſque actibus ornatum , ac præcellentem virum docet conſultus , *Deum noſtrum Ieſum, vnum eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate,* contrà quàm Eutychiani ſentirent , & in vulgus iactarent.

Bellar. de ſcrip. Eccl.

Idem ep. ad Seuer.

Sextò Paræneticam dedit epiſtolam ad Comitem Reginum militari dignitate Ducem , & ſub Iuſtiniano Imperatore Africanæ cuidam Prouinciæ Præfectum, & moderatorem

Idem ep. ad Comit. Rhegin. moderatorem, quâ epiſtolâ rogatus, *ſeptem regulas innocentiæ*, viro benè Catholico Ferrandus præſcribit, quibus ex virtute ſuam poſſit adminiſtrare Prouinciam vir militaribus artibus cum pietate tractandis aſſuetus. Hanc, ô vtinam! omnes Chriſtiani Proreges, & in bellis Imperatores, præ oculis, & manibus haberent epiſtolam, & ad ipſius regulas, ſuos tum ipſi mores, tum prouinciarum, ſibi creditarum exigerent adminiſtrationem.

Idem. ep. ad Anat. Septimò, litteras ſcripſit ad Anatolium S.R.E. Diaconum, qui hominem conſuluerat, licerétne abſque fidei offenſione dicere; *vnus de Trinitate paſſus eſt.* Super eâ controuerſiâ in duas itum eſt ſententias. Quibus hoc dici non placebat, id ſpectabant maximè, ne Diuinitatem paſſam dicerent, vel dicere viderentur cum Eutychianis. Alij contrà, vt Ioannes Maxentius, eos, qui vnam de Trinitate perſonam paſſam dicerent, in ſuſpicionem vocabant, quaſi quartam cum Neſtorio perſonam inducerent. Quid ad hoc Ferrandus? Vtrumque piè, ac Catholicè dici poſſe reſpondet. In eandem *Facund. ſupr. cit. lib. 4.* ſententiam ſcripſit Facundus Hermianenſis Epiſcopus, & illuſtre pro Ferrando teſtimonium dixit, vti ſuperiori proximè capite retuli, eóque iam vitâ functo.

S. Ferr. ep. ad Anat. & Pelag. Octauò eodem Facundo teſte, alteram ad Anatolium ſimul, & Pelagium (qui poſteà ad S. Petri Apoſtolicam ſedem euectus eſt) Ferrandus miſit epiſtolam, pro epiſtolâ Ibæ Epiſcopi Edeſſeni, adeóque pro tribus capitulis Concilij Chalcedonenſis aduerſus Acephalos. De hac ipsâ meminit in hæc verba S. Iſidorus Hi- *S. Iſid. ſup. cit.* ſpalenſis. *Iſte ad Pelagium, & Anatolium Romanos Diaconos conſulentes eum, vtrum liceat quemquam damnare poſt mortem? edidit reſcriptum, vbi inter alia ſic loquutus eſt dicens: Quid prodeſt cum dormientibus habere certamen, aut pro dormientibus Eccleſiam perturbare?* &c. Hanc epiſtolam ſiniſtro quodam fato, & poſteris inuidioſo, nobis interiiſſe putauit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, ſed

(quæ

(quæ Dei bonitas eſt) non ſolùm in veteribus Bibliothecis apud noſtrates extat; verùm etiam in mea manu eſt, & poteſtate.

At peccémne, ſi vitam S. Fulgentij noſtro Fulgentio Ferrando auſim adſcribere? In eandem ſuſpicionem antè me veniſſe video virum clariſſimum, & de Ferrando bene meritum, Pet. Pithoëum, & Aubertum Miræum non minori doctrina virum. Primus horum magno Reip. Chriſtianæ bono, ex inſigni Tricaſſinorum Eccleſiæ codice, primùm in lucem edidit Breuiarium Canonum à Ferrando elaboratum; noſtra igitur, & illius ſuſpicio eſt huiuſmodi: *fortaßis* (eius loquor verbis) *eiuſdem Ferrandi non immeritò alicui videatur narratio illâ de vitâ Ruſpenſis Fulgentij, quæ inter Sanctorum hiſtorias edita eſt.* Alter verò, nimirum Miræus; *ſunt*, inquit, *qui putant, ab eodem Ferrando Diacono conſcriptam eſſe vitam S. Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, quæ in omnium eſt manibus.* Ad quorum ſententiam haud admodum illibenter accedo non leuibus adductus coniecturis. Primam adduco ex hiſce verbis ipſiuſmet, qui B. Fulgentij vitam, & res præclarè geſtas à ſe in litteras ſedulò miſſas Feliciano Epiſcopo Ruſpenſi illiúſque ſucceſſori dedicauit. *Mihi diutißimè*, infit, *beati Fulgentij Pontificis, tui ſcilicet prædeceſſoris (à quo ſimul nutriti ſumus) & nomen & gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magiſter egregius verſaretur, dolebam tanti viri ſolatio caruiſſe populos Africanos.* Vbi ille ſeſe tanti Præſulis diſcipulum, alumnum, &, quod palmarium eſt, domeſticum *diebus ac noctibus ante eum poſitum vixiſſe* profitetur. Secundam traho ex eo, quòd apud Sardiniam cum eodem S. Fulgentio exulante ſe vixiſſe teſtetur *in illo paruißimo Monaſterio, quod ſibi apud Sardiniam pro Chriſti nomine relegatus effecerat, vbi iam tu Presbyter habitas.* Tertiam quàm maxima ſtyli affinitas ſuggerit; hanc ego legentium oculis, & ingenio ſtudioſiùs expendenti retegendam relinquo: compo-

Pith. cit. & Miræus Bibl. Eccl.

S. Ferr. præf. vit. S. Fulg.

nant, si lubet, reliquorum opusculorum, quæ ab eruditâ Ferrandi manu, elaborata prodierunt, voces, orationis articulos, nexus, figuras, & acumina sententiarum, cum stylo totius historiæ, quâ res à S. Fulgentio præclarè gestas complexus est, & germanissimum Diaconi nostri opus extitisse haud dubiè iudicabunt. Quartam ad extremum subodoror ex altissimo illo silentio, quo ipsum animaduerto pressisse litteras à S. Fulgentio ad se consulentem datas, licet de libris ab eodem procusis, & in publicam lucem editis meminerit persæpe. Quid auream illam epistolam loquar, quam Magistri sui (vt ipse loquitur) *quasi hæreditarium debitum soluere iussus* ad Reginum Comitem misit. Cùm enim piissimus Dux *venerabilis memoriæ Fulgentium, Pontificem Ruspensis Ecclesiæ interrogasset, qualis sibi militaribus actibus occupato, regula esset spiritalis propositi retinenda*: illéque antè, quàm fideliter ratione fidei redditâ, de actibus militaribus cum pietate tractandis loqui inciperet, transisset ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia, coactus est Ferrandus ab eodem pariter rogatus, an iussus? *gloriosi operis principia abrupta retexere*, retexta perficere, perfectáque ad illustrissimum Ducem transmittere, vti fœliciter affectum videmus, ac demiramur. At vbínam in totâ vitæ S. Fulgentij historiâ, vel leuissimum super hac parænetica epistola iniectum verbulum legas? tantum fuit modestissimi hominis silentium, quod tamen Stentore clamosiùs Ferrandum, vitæ S. Fulgentij verum authorem deprædicat extitisse.

S. Ferr. ep. ad Com. Rheg.

An pariter authorem ipsum dixeris illius Epistolæ, quam Achilles Statius Beatissimi Diaconi subtexuit epistolis, & quam ad Anselmũ Mediolanensem Episcopum ab illo fuisse datam existimauit? minimè gentium, mi homo; cùm hunc certò certius constet, trecentis post annis à Ferrãdo in Cœlum recepto, vitam vixisse. Malo ad vltimum affirmare alios editos fuisse à doctissimo viro viuacis ingenij fœtus, de quibus Iulianus Archipresbyter

byter Tolet. meminit in hunc modũ: *Ad annos DXL. viuit, supplet opera S.Fulg. Ruspensis Episcopi, magistri sui.* Quàm vellem eruditus Chronographus nobis hæc opera memorasset, maximo certò posteros labore, Ferrandum iacturâ leuasset. Veruntamen si mihi licet esse vati, non alia fuisse opera dixerim, quam parænecticam epistolam Comiti Regino vt proximè diximus, elaboratam. Cùm enim S. Fulgentius *semipleni libelli imperfectam dictationem* reliquisset, noster Diaconus volens, nolens eam afficere coactus est, & intermissum à magistro opus supplere, præter hoc noui penitus nullum. *Iulian. Chron. cit.* *S. Ferr. ep. ad Rheg.*

Atque hi libri sunt, hoc est, magni Ferrandi fœtus, qui minimè posteros fugerunt, & *in quibus absens loquitur, & mortuus viuit*: vt ipse de suo institutore perquàm acutè dixit. Nam alios forsitan ab ipso conscriptos fuisse libellos, cum Iuliano fas est credere, qui hæreticis summoperè exosi eorumdem fraudibus excidere potuerunt. Enimverò ad Insulas Carthaginenses, & Toletanas vocatus, inertem stylum minimè continere potuisse credendus est, quin illum aduersus tot hæreticorum factiones identidem stringeret, vel in paræneſibus, vel epistolis, vel tractatibus pro rerum opportunitate, & populorum commodo, procudendis exerceret. Alioqui cur epitaphij piis eius manibus positi conditor Ecclesiam Toletanam à Ferrando *scriptis ornatam* pangeret, nisi si aliquid tum temporis in literas missum edidisset? Illud similiter Posseuinum nostrum voluisse verò simillimum est, cùm de illo scriberet: *ad quem consulendum de arduis quæstionibus, cùm plerique vndique scriberent, varia reliquit; licet non omnia consecuti simus integra.* Sic nimirum: *Idem præf. sup. cit.* *Vid. infra notas in 3. dist. elogij sepulchr. n.1.* *Posseu. in Appar. sacro.*

Tempus edax rerum, túque inuidiosa vetustas.

Tanti Doctoris, ac Præsulis elucubrationes posteris inuidisti.

CAPVT X.

Amicitiæ cum Principibus viris gestæ.



A fuit Ferrandi, dum adhuc *in minoribus esset*, hoc est, dum vel in Monasterio Cœnobita, vel in Ecclesiâ Carthaginensi Diaconus viueret, doctrinæ, virtutis, meritorum, ac famæ celebritas, vt Principibus viris, quà sacris, quà profanis in oculis, æstimatione, amoribus, & admiratione esset quàm maximâ.

Enimverò, vt à sacris ordiamur, S. Fulgentium inter, & Ferrandum nostrum, ea coaluerat animorum coniunctio, vt amore mutuo certasse, ac vicisse simul, & semel viderentur. Ferrandum amauit Fulgentius, vt suum in Christo filium pater; excoluit, vt magister discipulum; aluit, vt nutritius alumnum; recreauit, vt exilij comitem indiuiduum pius exul; denique vt virum pereruditum, *sanctum Fratrem*, *fortem in Christo*, *& Condiaconum* singulari honore est prosequutus. Vice versâ Ferrandus S. Fulgentium redamauit, vt filius obsequentissimus parentem optimum; audiuit, vt Magistrum discipulus; consuluit, vt oraculum; habuit in exilio solamen vnicum; coluit, vt *Pontificum linguam, & ingenium*, fidei columen, *Malleum hæreticorum*, Africanæ Ecclesiæ animam, ad summam, vt Cœlitis etiamnum in terra versantis assumpto Fulgentij nomine gloriatus, exemplo, & imitatione in maximam euasit sanctitatem.

S.Fulg. ep. ad Ferr. cit.

S.Ferr. cit. c.20.

Fulgentio terris potiùs, quàm sibi funesta, simul, & felici morte ablato, cum eius successore Feliciano Ferrandus amicitias tam arctas gessit, vt charitatis quadam metempsychosi S. Fulgentij animam, in vtrumque, & alterius animam in alterius corpus commigrasse,

ſe iuraſſes. Interceſſerat nimirum iam inter illos animorum non leuis coniunctio, tum quia ſimul à Beato Fulgentio *nutriti fuerant*, tum quia *in illo paruiſſimo Monaſterio* (vt ſuprà retuli) *quod ſibi* beatus Epiſcopus *apud Sardiniam pro Chriſti nomine relegatus effecerat*, cum Ferrando Felicianus *iam Presbyter habitarat*, Ambo deniquè *cæleſtis eius eloquij flumine frequenter fuerant irrigati*. Atque hinc factum eſt, vt vel de mandato Feliciani, vel ſingularis in eum obſeruantiæ, amoríſque ergò, *libellum* de rebus à communi ſuo inſtitutore præclarè geſtis *ſuſcipere* non modò *cogitarit*; ſed etiam Reuerendæ *ipſius paternitatis orationibus fretus* confectum eidem pientiſſimo Præſuli dedicarit, *non quaſi aliqua neſcienti, ſed potiùs ipſius teſtimonio confirmanda ſimpliciter digeſſerit*. Idem in præf. vit. cit.

Ab illis duobus Epiſcopis, Egippium Preſbyterum, & Abbatem (vt eum S. Fulgentius appellat) impensè dilexit, mutuíſque ornauit epiſtolis : nec minori amoris, honoríſque affectu, ac ſtudio Pelagium & Anatolium S. R. Eccleſiæ Diaconos, hoc eſt, Eminentiſſimos (vti iam vocamus) Cardinales Ferrandus eſt proſequutus. At qualem ex his duobus putas fuiſſe Pelagium ? Is certè fuit, vt & Eccleſiæ Romanæ Apocriſiarius Conſtantinopolim adierit, & poſt Vigilium Petri Cathedram Pontifex huius nominis primus impleuerit non indignus ſucceſſor. Eius autem præclara facinora, & lue afflati felicem obitum perquàm ſtudiosè, accuratéque, pro ſuo more, Baronius literarum monumentis commendatum reliquit. Quid poſt iſtos referam doctrinæ, vitæque ſanctimoniâ præſtantes Preſbyteros, alióſque ſacros homines, quibuſcum in Sardiniâ, Hiſpaniâ, & Africâ coniunctiſſimè vixit ? Silere tamen nec debeo, nec poſſum duos eius, in ſede Toletanâ eximios ſucceſſores, Celſum, de quo hæc habet Iulianus : *Celſus Vir ratione Germanus, vir ſanctus, cuius agitur in Germaniâ dies 30. Maij. Vir fuit doctus*; & Monta-

Id. epiſt. ad Eugy.

Baron. tom. 7. Annal. Eccl.

Iulian. cit. Chron. n. 259.

num, qui vtrique in eadem Ecclesiâ suffectus, antè *Archidiaconus Toletanus, doctus, & sanctus* extiterat, quàm ad Toletanum euocaretur Pontificatum, vt idem Iulianus testatur; & quem Ferrandi elogium ipsius in eâdem sede *Ministrum* fuisse loquitur.

Idem ibid. n. 265.

Iam Principes è laicis viros, si placet, contemplemur, quibuscum Ferrandus, per id tempus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus amore coniunctissimus fuit. Primus se offert Seuerus, Constantinopolitanus Scholasticus, ad quem extat perelegans Diaconi nostri epistola: Cùm Scholasticum audis, ne hominem bonarum literarum expertem; sed contrà, bene peritum; non hominem in dicendo infantem, sed è contrario exercitatissimum; non terræ filium, sed officio Constantinopoli spectabilem videre te puta. Qui fuerint olim scholastici ex nostro Bulengero accipe: *Scholastici sæpe assidebant Rectoribus Prouinciarum, aut Præfectis Prætorio, quibus erant in consilio; interdum supplicibus preces dictabant, quas principi offerrent, litigantibus iura, cùm essent literati*, &c. Talis erat Seuerus, quem Ferrandus, vt *virum prudentissimum, & sanctum fratrem* in oculis ferebat.

Bulleng. lib. 2. de Imp. Rom. c. 19. La Cerd. in aduers. sacr. Rosuu. onomast. ad vit. SS. Patr. S. Ferr. ep. ad Seuer.

Hoc tamen multò illustrior fuit Comes Reginus, cuius gratiâ noster Diaconus eruditissimam scripsit parænesim, vt olim dixi. Hunc vero simillimum est natione fuisse Afrum, certè religione Orthodoxum, militari professione Ducem, dignitate Proregem, morum sanctitudine, simul & fidei studio, Procerum nulli secundum extitisse, luce meridianâ clariùs est. Primùm sub Rege Vandalorum Gilimere, tum sub Iustiniano Imperatore Vandalis iam Africâ totâ, per Belisarium feliciter exactis, militarem magistratum gessit, & nobis ignotæ Prouinciæ apud suos Africanos piè, sanctéque est moderatus, adnitente Ferrando, qui in illustri Duce colendo, excolendóque beatissimi sui Doctoris Fulgentij vices, partésque egit. Num igitur tam Vandalorum Regi, quàm Imperatori Iustiniano charissimus

mus esse debuit Reginus, vt sibi ab vtroque concreditam Prouinciam regiis, & *imperialibus legibus* (vt loquitur Ferrandus) *regeret*, aut regendi pro Imperatore, & Rege potestatem mereri, & obtinere posset? Non replico, quæ suprà capite octauo retuli, de Ferrandi nostri apud Iustinianum Imp. authoritate ac gratiâ, quam à Seuero Constantinopoli conseruatam, & à Comite Rhegino ex Africâ nimiùm quantùm auctam per literas, minimè dubito. Horum, aliorúmque Principum virorum amicitiis floruisse Ferrandum, non solùm ipsius Diaconi, verùm etiam multò magis Pontificis dignitas, famæ celebritati coniuncta satis, supérque euincit.

Idem ep. ad Com. Regin.

Caput XI.

Episcopalis Dignitas.



Ervditio Beati Ferrandi, cum exquisitâ virtute coniuncta, vsque eò fama, & commendatione Orbem fuerat peruagata, vt in Hispaniam ex Africâ delata, Carthaginis Spartariæ ciues impulerit, ad hominem, ex Archidiacono Carthaginis Africanæ, in Pontificem suum eligendi.

Dixi, ex *Archidiacono*, propterea quòd obseruasse me olim memini, tum aliis in regionibus Orthodoxis, tum imprimis in Hispania ipsâ, in moribus fuisse receptum elimatæ doctrinæ, ac sanctitatis viros, ex *Archidiaconorum* gradu, ad Pontificium thronum vocare, proueheréque. Vnus Iulianus Archipresbyter quàm multa huiusce consuetudinis nobis subministrat exempla? Ex omnibus aliquot delibo. Audentius S. Gregorij, Episcopi Toletani, *Archidiaconus, vir tàm pius, quàm doctus, egregius contra fraudes hæreticorum scriptor, & Luciferianorum*

Iulian. Chron. cit. ad ann. 336.

ferianorũ in Hispaniâ tumultuantium terror, eidem Gregor. in Ecclesiâ Toletanâ succedit, *S. Asturio Serrano defuncto*, in eâdem Sede Isychius sufficitur, *qui priùs fuerat Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, Castinus S. Maiorani Archidiaconus, omnium suffragiis Toletanorum, Maiorano succedit. Vir eximiè doctus, & valdè pius; Castino vitâ functo succedit eius Archidiaconus, Flauius Paternus Iulianus Campetius, vir consularis*, suúmque Archidiaconum, eundémque virum consularem, *morum & ingenij laude clarissimum, Iulianum Sancticionem*, habuit successorem. Is secundo Concilio Arausicano, & Carpenctoratensi iudex interfuit, & ad ipsum scripsit Sidonius Apollinaris. Et, vt ex aliis Ecclesiis Hispaniarum similia petamus exempla. Marcus Maximus Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archidiaconus, posteà in Episcopum Cæsaraugustanum euasit. Pro more igitur apud Hispanos vsitatissimo, B. Ferrandus ex *Archidiacono* creatus est *Carthaginis Spartariæ Antistes*.

Idem ad ann. 414. *Idem ad ann. 449.* *Idem ad ann. 456.* *Idem ad ann. 465.* *S. Sidon. Apoll.* *Julian. cit. ad an. 585*

Eâ de re duo luculentissima produco testimonia. Alterum peto à S. Maximo Cæsaraugustano superiùs à me laudato, cùm de Hectoris nomine agerem, quod iterùm hîc exscribere piget. Alterum adduco ex Iuliano sæpe sæpiùs memorato, cuius hæc verba sunt rem totam conficientia: *Petro Toletano succedit in eâdem sede Hector, cognomento Ferrandus, Afer, qui fuit in Sede Carthaginensi Archidiaconus, scriptor nobilis, & Episcopus Carthaginis Spartariæ.* Quid clarius? Quid expressius? Ex quo testimonio lux maxima affulget Concilio Tarraconensi (quo Carthaginensis Ferrandi Pontificatus insigniter confirmatur) Illi enim Concilio sub Hormisdâ, Papâ celebrato ipse idem Ferrandus interfuit, & tertio loco ita subscripsit: *Hector Episcopus Carthaginensis Metropolita.* Quæ verba enucleare videtur operæ pretium.

Idem ad ann. 494. *Loaisa in not. ad Cõcil. Tarrac.*

Principiò, *Episcopum* se *Carthaginensem* appellat: scilicet in Hispania Tarraconensi. Nam *Carthago noua*, inquit

quit Ortelius, *in Hiſpania Tarraconenſi Conteſtanorum maritima vrbs Ptolomæo, & aliis*, cui id honoris obtigit, vt *S. Paulus Româ profectus, iam liber & vinculis abſolutus, vbi Hiſpanias adiit nauibus gentium vectus, Carthagine Spartariâ exſcenderit*, ſi Iuliano citato fides eſt. Hanc Plinius, Antoninus, & Appianus vnanimi conſenſu pariter *Spartariam*, σπαρταγίνην cognominant, quod ſparto abundet; eius deſcriptionem habes apud Polibium, quem conſules, ſi lubet. Secundo loco, ſe *Metropolitam* ſubſcripſit in eo Concilio vnus, ac ſolus; cuncti duntaxat *Epiſcopos*. Ita enim Epiſcopus ipſe Tarraconenſis: *Ioannes in Chriſti nomine Epiſcopus Tarraconenſis ciuitatis*. Quali autem è genere *Metropolitanorum* fuerit Ferrandus noſter, inquiri poteſt. Etenim duo fuiſſe Metropolitarum genera iampridem annotarunt viri bene docti, Sirmondus noſter, & Morinus, Oratorij Preſbyter. Ego, quantum in re ſubobſcurâ coniectari licet, non ſolùm nomine; ſed etiam reipsâ, poteſtate fixâ, atque authoritate perpetuâ illum *Metropolitam* extitiſſe non dubito.

Ortel.
Iulian. Chron. cit. ad ann. 63. & ibid. Ramirez de Prado.
Plin. lib. 5. hiſt. cap. 2. & 8.
Vid. Biſciol. tom. 2. hor. ſubcel. in append. ad vlt. lib. cũ de Garo diſputat.
Polyb. lib. 10.
Conc. Tarrac. cit.
Sirm. lib. 2. protrept. cap. 2.
Morin lib. 1. exerc. Eccl. c. 9. 10. 31.
Steph. Tornac. ep. 61.

Non ſtetit in eo gradu Ferrandus, verùm ad infulas euocatus Toletanas, *Hiſpaniarum Primas* effectus eſt. Illum ego libenter iiſdem verbis compellem, quibus Stephanus Epiſcopus Tornacenſis Petrum S. Chryſogoni Preſbyterum Cardinalem alloquitur. *Iucundum mihi fateor ſpectaculum præbet recordatio veſtri, dum quaſi per graduum canticum aſcendentem ſuſpicio: dum à minoribus ad maiora* Ferrandum noſtrum *hinc virtutes ſibi rapiant, hinc honores. Gratia gratiam inuocat, gloria gloriam, vt cortina cortinam trahit; & iam plenè licet omnibus, qui in domo Dei ſunt*, &c. & poſt pauca. *Amplector*, inquit, *ſcholarem* (dic Diaconum) *proſequor Archidiaconum, deoſculor* non Abbatem, *ſed Metropolitam Carthaginenſem, reuereor* non Cardinalem, *ſed Archiepiſcopum, & Primatem Toletanum. His gradatim aſcendentibus, & ſibi ſuccedentibus articulis arrident honores moribus, mores honoribus coexultant*, &c.

Sedem porrò Toletanam *ætate grauis* (vt Elogium ſepulchrale cecinit) Ferrandus adiit, & vigeſimusquintus Pontifex impleuit: vti vir longè doctiſſimus, Ioannes Iamayo Salazar, à me per literas conſultus, ſuis Matriti IV. Id. Nouemb. 1645. ad me pro ſingulari ſuâ humanitate tranſmiſſis, in hæc verba docere dignatus eſt: *In nouis diptychis S. Eccleſiæ Toletanæ reſtitutus eſt noſter Pontifex, 25 in numero Antiſtitum: vt congeſſit D. Thom. Tamago de Vargas in libello de veritate dextri, nuuitate 7. fol. 121. Illuſtriſſimus D. D. Didacus de Caſteion, & Fonſeca Epiſcopus Iuriaſonenſis lib. 1. de Primatu S. Eccleſiæ Toletanæ cap. 8. §. 8. fol. 120. tomo primo.* Sic D. Licentiatus oppidò vrbanitate conditus maximâ. Sapienter autem dixit (*in nouis diptychis*) quia *in antiquis tabulis* (eiuſdẽ verba ſunt) *quas bellorum & temporum faſtidioſæ procellæ obliterarunt, nomen eius*, hoc eſt, Ferrandi, *non inuenitur. Cauſam expreſſit noſter Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ Toleti, in Chronico, num. 195. ſic Diptycha Toletanorum Pontificum, tempore Gothorum, nimis damnata fuit, quam vidit diminutam S. Ildefonſus Pontifex Toletanus, in qua non legitur Olympius, nec Eugenius Martyr, nec Hector, nec Melanthius, nec Honoratus, Gregorius, Saturninus, Elpidius, & alij, qui à Pelagio ad Auſturium nouem numerat: vel præcipuos opinione magnæ ſanctitatis, aut egregiæ ſplendore doctrinæ.* Hactenus vir eruditus. Quapropter nemini mirum videri debet in catalogo Epiſcoporum Toletanorum, quem noſter Schottus euulgauit, nullam de Ferrando fieri mentionem; imo neque Hectoris appellationem inter nomina Præſulum Toletanorum, quæ ſculpta in ſacrario Eccleſiæ Toletanę viſuntur, reperiri, quemadmodũ Garſias, Loaiſa olim citatus refert. Vt tamen dicam, quod ſentio; haud ſcio, an incuriæ maximæ tribuere habeam hanc Hectoris Ferrandi præteritionem, cùm Cruſenius conceptiſſimis verbis ſcripſerit: *In Eccleſiâ Toletanâ extant, hi verſus exprimentes cæterum vitæ Ferrandi*, ipsúmque adducat in medium Marquez; quo in

Loaiſa cit. pag. 168.

Cruſen. & Marq. loc. cit.

in carmine ſepulchrali tam luculentum de Hectoris Ferrandi Epiſcopatu Toletano teſtimonium habeatur his verbis comprehenſum:

Iámque ætate grauis Toletum paſtor adiſti,
Hanc ſedem ſcriptis, vitâ, & honore iuuas.

Adde quòd elogij citati ſcriptor Montanum Hectori Ferrando ſuffectum poſt quatuor verſus ſic memorat.

Hinc tua Montanus veſtigia pone ſecutus
Succedit celeber Paſtor in vrbe tuâ.

At Montanum inter Epiſcopos Toletanos tam laudatus catalogus, quàm Iulianus Archipreſbyter Toletanus, aliíque non pauci annumerarunt. Denique idem Epitaphium bis de eiuſdem Ferrandi Epiſcopatu meminit, & hoc potiſſimum verſu manifeſtiſſimè:

Toletum, fœlix vrbs, tantum nacta parentem.

Hìc Pennotus ſuper Hectoris noſtri Toletano Pontificatu Maximum, & Iulianum committit, quòd inter ipſos non ſatis benè, aptéque (vtquidem videtur) conueniat, cuínam Ferrandus in cathedrâ Toletanâ implenda ſucceſſerit; vt propterea in hoc tanti viri Epiſcopatu vacillare fides apud aliquos poſſit. Enimverò S. Maximus (vt olim retuli) memorat *Petro Epiſcopo Toletano ſucceſſiſſe Hectorem in Africâ Diaconum, dictum, Ferrandum, familiarem S. Fulgentij Ruſpenſis.* Iulianus verò *Palmato Epiſcopo Toletano ſucceſſiſſe in eâdem ſede, Hectorem, cognomento Ferrandum Afrum* teſtatur. Ergò hìc duo Chronographi ſibi maximè aduerſi, ſunt à nobis conciliandi. Vtrique credo ſuffectum fuiſſe Ferrandum; Palmato quidem mediatè; immediatè verò ac proximè Petro: prius voluit Iulianus, poſteriùs S. Maximus, quarum inter ſeſe variantium opinionum origo, & caput hoc eſſe potuit: quòd fortè Petrus, qui Palmato proxime ſucceſſor extitit, tam exiguo temporis interuallo, viduatam Palmato cathedram impleuerit, vt vix in Toletanorum Pontificum album de-

Pĕnot. lib. 1. hiſt. gener. Canon. Regul. S. Aug. c 56.

buerit adscribi. Quid si Iulianum Petri Pontificatus omninò latuerit? vel librariorum incuriâ (vti vtrumque nimium sæpè vsu venire assolet) exciderit Petri mentio, concitatius in exscribendo properantibus? vel vnus idémque fuerit Petrus Palmatus vt, teste Iuliano, malè Crusenius est opinatus, vt vt sit; non est, quod veterrimis scriptoribus, Toleti Pontificatum Ferrandi stabilientibus fidem præ Pennoto, authore nupero, denegemus. Idem verò contigisse S. Montano, quem proximè diximus Hectori Ferrando fuisse suffectum me obseruasse memoriâ memini. Ilse siquidem, non immediatè Hectori nostro, sed Celso successor, Toletanam sedem impleuit. Iulianum sæpe sæpius laudatum, & laudandum, de Tarraconensi

Iulian. Chron. N. 259. Concilio agentem audiamus: *Theodericus Amatus Rex Hispanus, interfuit Concilio Toletano; & anteà Concilio Tarraconensi, cui interfuit etiam Hector Toletanus, cognomine Ferrandus, Hectori Toletano succedit Celsus, vir natione Germanus, vir sanctus, cuius agitur in Germaniâ dies, XXX. Maij,*

Idem ibid. N. 265. *vir fuit doctus.* Et post aliqua, *Celso viro sanctissimo ad Germaniam profecto, & ibidem sanctè mortuo, succedit Montanus, Archidiaconus Toletanus, doctus, & sanctus.* Iuliano *præiuerat secunda* Toletanæ Ecclesiæ *diptycha pro spiritibus pausantium,* vt ipse loquitur, quâ tum clarissima Ferrandi nostri Pontificiæ dignitati lux affunditur, tum difficultatem propositam & præpositam apertè soluit in hæc

Idem ibid. N. 2. conceptissima verba: *Secunda: pro spiritibus pausantium, Hilarij, Athanasij, Martini, Ambrosij, Augustini, Hesychij, Maioriani, Serrani, qui & Austurius, Castini, Campei, Iuliani, Sinticionis,* Palmati, Petri primi, Hectoris, Celsi, Montani, *Iuliani, Bacaudæ,* &c. Ex quibus vides seriem Pontificum Toletanorum, de quibus nobis controuersia est, non solùm eo digestam ordine, quem Iuliani Chronicon posteritati transmisit; verùm etiam adeò clarè, firmitérque stabilitam, vt in dubium reuocare, Ferrandúsne Palmato mediatè, Petro immediatè?

diatè? similiter Montanus Hectori Ferrando mediatè, immediatè Celso suffecti fuerint? dubitare quodammodo sit, Sólne meridianus cœlo innubi, nostro illucescat Orbi? Verùm nostram sententiam alio roboremus exemplo. S. Ildefonsus vir alioqui rerum Hispanicarum peritissimus, de Beato agens Isidoro, sic ait: *Isidorus post Leandrum fratrem Hispalensis sedis cathedram tenuit.* Leandro tamen immediatè successit Gordianus, ad quem post Leandri obitum Deus-dedit Pontifex Maximus dedit literas, quibus literis ipsum, *Episcopum Hispalensem*, inscribit, vt apud Gratianum legere est. Quapropter Gordiano S. Isidorus immediatè successor esset accensendus, cùm tamen Leandro fratri proximè, Hispalensem Episcopum, successorem Isidorum memoret Hildephonsus: eâ fortè de causâ, quòd non ita post à sede Hispalensi adeptâ, & aditâ, discedens à vitâ mortali immortalem vitam, æternámque in cælo sedem sit consequutus. Quin idem acciderit, cùm Ferrando, tum Montano Episcopis Toletanis, non dubito, præsertim cum duobus Scriptoribus antiquis maior habenda sit fides, quàm mutilis, & imperfectis tabulis, quales Toletanas fuisse prudenter Loaisa laudatus obseruauit, sicut de sacris diptychis Archipresbyter Iulianus. Hæc cùm ita sint apertissimè liquet, neque à S. Maximo, neque à Iuliano contra historiæ veritatem quidquam fuisse peccatum; nec ipsos inter se variantibus sententiis aduersos extitisse; quin imò vtcumque Ecclesiæ Toletanæ cathedram, & infulas Pontificias nostro Hectori Fulgentio Ferrando suis asseruisse, & confirmasse calculis, simul & scriptis. Exciderat penè scribenti è memoriâ è Iuliani chronico locus alius, quo Hectoris stabilitur Episcopatus; sic autem se habet: *Omnes Episcopi Africam mittuntur in exilium præter Hectorem.* Verùm à quo, & quam ob causam? Hìc Harpocrates sum.

S. Ildeph. lib. de vir. illustr. in Isidoro.

Cap. pœnit. 30. quæst. 1.

Loais. sup. cit. N. 1. & Iulian.

Ibid. N. 268.

Cæterùm Beato Ferrando ad Episcopales Ecclesiæ

Acta inter ep. S. Aug. 110. Toletanæ infulas, suis egregiis meritis accito iure suspicari licet fuisse totidem verbis acclamatum, quod Eradio, S. Augustini successori designato dictum vicies quinquies, *olim dignus, olim meritus.*

Persentisco. Vellicat mihi aurem nescio quis, cui Ferrandi nostri geminus Episcopatus hactenus ignotus fuit, & vtrumque ab ipso abiudicare satagens infit. Agedum enimverò tu, quonam pacto Ferrandum primùm Carthaginis Spartariæ, tum Toletanæ ciuitatis Pontificem nobis exhibes, quem neque Facundus Episcopus Hermianensis, neque cæteri deinceps, qui eum in album Scriptorum Ecclesiasticorum retulerunt, nusquam *Episcopum*, sed *Diaconum Carthaginensem*, duntaxat appellare amauerunt? Hunc tibi scrupulum, mi homo, tàm facilè, (si te docilem præbes) quàm libenter ex animo euellam tuo. Illud ergo ab omnibus consultò factitatum credo, quòd eruditæ lucubrationes, quas Ferrando addicunt, tùm ab ipso fuissent elaboratæ, cùm Carthagine Diaconum ageret. An quia, vt nunc temporis, ita & illo Facundi æuo, Ferrandus noster Diaconi gradu, quàm Episcopali dignitate, toti Orbi Christiano notior erat? à notiori autem (vt vulgari passim iactatur axiomate) sumitur denominatio. An quòd Facundus, cùm Ferrando Gentilis existeret, hoc est, cùm ambo Africâ essent oriundi, maluit, in gratiam, & gloriam gentis suæ, illum à Diaconatu, quem in patrio solo gesserat, potiùs quàm ab Episcopatu, quem in Hispaniâ obtinuerat, nuncupare? An denique quòd recentiores Facundo Scriptores, Ferrandi nostri Episcopales infulæ penitùs latuerint? siue quia in Diptychis Carthaginensibus, & Toletanis (vti superiùs proximè memorauimus) peræquè Ferrandi, atque aliorum vitæ sanctimoniâ, simul & eruditione præstantium Episcoporum honorifica prætermissa fuit mentio, vbi Melantius, qui Concilio Eliberitano, ætate Constantini Imp. celebrato, numero decimus tertius

tius ſubſcripſit? Hunc tamen Toletanæ ſilent tabulæ; quin idem de Ferrando dixerim? ſiue quia per tot temporum varietates, bellorum procellas, Hiſpaniarum iactationes, irruptiones Gentium diuerſarum, Regnatorum multitudinem, cadauera Vrbium, populorum interneciones, Eccleſiaſticarum tabularum interitus, aliáſque id genus frequentiſſimas alternantis fortunæ, rerúmque humanarum viciſſitudines, Ferrandi, tùm Epiſcopatus, tùm nomen penitùs exciderunt, quod vbique gentium Eccleſiis penè vniuerſis contigiſſe, nouimus, conquerimur, deflemus omnes.

CAPVT XII.

Obitus, & ſepultura.



OCCIDIT tandem in Heſperiâ Sol ille Africanus, Eccleſiæque (vt ita dicam) alter Heſperus, Fulgentius Ferrandus, atque Toleti ſitus eſt, vt hi loquuntur verſus: *Iulian. Chron. cit.*

Iſthæc te roſei carpentem luminis auras,
Vidit (ſcilicet Carthago) *& hæc* (Toletum) *ſupera carpere ſedú iter.*
Illa dedit vitæ primordia labilis vſus,
Iſta reſurgentem læta videbit humo.
Toletum, Fælix vrbs, tantum nacta parentem
Illius gremio continet oſſa ſuo.

Viden vt elogij illius verſus diſcrepent à Iuliani Archiepiſcopi Toletani verbis ſuper loco vbi B. Ferrandus viuere deſiit? hæc autem ſic ſe habent: *Iberia vel Ibris migrat ex hac vita anno Domini quadrageſimo quinto ſupra quingenteſimum.* Conditor enim laudati elogij B. Ferrandum *Toleti*, Iulianus autem *Iberiæ* diem ſuum obiiſſe memorant. *Iberia* verò apud Merulam, *opulentiſſima*

Merula Cosmog. 2. part. lib. 2. cap. 7.

ma quondam vrbs fuisse dicitur, quæ *Elix hodie putatur, circa Carthaginem veterem, in cuius agro Cornelius Scipio vicisse Pœnos, totámque Hispaniam imperio Romano adiecisse scribitur*: atque ab hac vrbe fluuium *Iberum*, & ab hoc Hispaniam vniuersam, *Iberiam* traxisse nomen ferunt. Quî verò hi duo auctores conciliari valeant non video: certè (quæ mea est fides) in sententiam Epitaphij scriptoris libentius concedo; quod Toleti beati Pontificis corpus conditum fuisse memoretur, vt mox dicam pluribus, imò & Toleto *superæ sedis iter carpsisse.*

At in quem annum ipsius extrema dies inciderit non exigua subest difficultas. Primò quidem, quia in Chronicon Iuliani video irrepsisse varietatem numerorum, ex incuriâ eorum qui illud ediderunt: nam aliqui pro anno D X L V. legunt, D X X V. vt Crusenius loco citato. At quo pacto B. Ferrandus obierit ante S. Fulgentium, cuius ipse parænesim ab institutore suo incœptam, & morte abrumpente necdum affectam perfecit, eámque ad Comitem Reginum transmisit, vt eius optatis, & postulationi faceret satis? Fulgentium autem Iustiniani Imperatoris anno tertio, Christi quingentesimo vicesimo nono duntaxat, è corporis statione discessisse, Baronius, Possevinus, Petauius, aliíque complures attestantur. Prætereà idem Baronius asserit anno quingentesimo tricesimo, *Anatolium, S. R. E. Diaconum consuluisse Ferrandum Diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, Discipulum S. Fulgentii virum huius temporis doctrinâ insignem.* Adde quod verosimillimum est, B. Ferrandum vitam sanctissimi Doctoris sui non nisi post annum ab eius exitu exactum, in literas misisse, missámque Feliciano successori dedicasse. Cùm ergo S. Fulgentium constet vitâ functum, anno vicesimo nono supra quingentesimum; consequens est Ferrandum anno tricesimo vel iam elapso, vel ad exitum præcipiti memoratam condidisse vitam. Quomodo igitur dici potuit à Crusenio ex hac migrasse, eiusdem sæculi vicesimo

Baro. tom. 7. cit. ad ann. 529. Posseu. in appar. ver. Ferrandus. Petau. tom. 2. doct. tēp. lib. 13.

mo

mo quinto? Aliæ rationes mox referendæ multo validius idem confirmant.

Secundò Victor Tununensis vitam B. Ferrandi ad vicesimum primum Iustiniani Imperatoris annum produxit. At in numeros errorem irrepsisse suspicati sunt aliqui, quòd Ferrandus noster Anastasio imperante scripserit, quemadmodum Trithemius, Pithœus, & alij scripserunt. Etsi super illo errore numerorum eo libenter in eorum sententiam, rationem tamen non amplector. Rem enim non euincit hæc ratio. Nam esto. Scripserit sub Anastasio Ferrandus? quid tum? non scripserit sub Iustiniani imperio: idipsum pernego. scripsit, vel scribere occœpit, sub Anastasio imperante, Ferrandus adhuc Diaconus Carthaginēsis; perrexit tamen scribere sub Iustiniano, vt proximè retuli. Nihilne deinceps ætate prouectior, & ad Carthaginenses, & Toletanas vocatus infulas literis mandarit? si negas, neganti silentium imponent hi ex elogio versus:

Iámque ætate grauis Toletum Pastor adisti,
Hanc sedem scriptis, vitâ, & honore iuuas.

Quid ergo illum ad Iustiniani Imperatoris tempora, stylo dedisse operam pro fide propugnandâ vetat? Iam verò annus vicesimus primus Imperatoris Iustiniani cadit in annum à Christo nato, quingentesimum quadragesimum septimum. *Baron. ad ann. 547.* At Diuus Ferrandus tunc in viuis esse non potuit, vt hæc Facundi verba manifestissimè significant: *Venerabiles Pelagius, & Anatolius, Romani Diaconi debitam officio suo, & loco sollicitudinem pro Ecclesiâ Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ, Ferrando Carthaginensi Diacono scripserunt.* *Facund. supr. cit. c. 3.* Illæ enim voces (*laudabilis in Christo memoriæ*) non viuis, atque etiamnum spirantibus, sed iis duntaxat, qui iam è viuis excessere, solent accommodari. Cùm ergo Facundus ad Iustinianum scriberet, Christi anno quingentesimo quadragesimo sexto, vt refert Baronius, Imperatoris vicesimo: nemo non videt Diuum Ferrandum extremum spiritum non *Baron. ad ann. 546.*

ferianorũ in Hispaniâ tumultuantium terror, eidem Gregor. in Ecclesiâ Toletanâ succedit, *S. Asturio Serrano defuncto*, in eâdem Sede Isychius sufficitur, *qui priùs fuerat Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, Castinus S. Maiorani Archidiaconus, omnium suffragiis Toletanorum, Maiorano succedit. Vir eximiè doctus, & valdè pius; Castino vitâ functo succedit eius Archidiaconus, Flauius Paternus Iulianus Campetius, vir consularis*, suúmque Archidiaconum, eundémque virum consularem, *morum & ingenij laude clarissimum, Iulianum Sancticionem*, habuit successorem. Is secundo Concilio Arausicano, & Carpenctoratensi iudex interfuit, & ad ipsum scripsit Sidonius Apollinaris. Et, vt ex aliis Ecclesiis Hispaniarum similia petamus exempla. Marcus Maximus Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archidiaconus, posteà in Episcopum Cæsaraugustanum euasit. Pro more igitur apud Hispanos vsitatissimo, B. Ferrandus ex *Archidiacono* creatus est *Carthaginis Spartariæ Antistes*.

Idem ad ann. 414. Idem ad ann. 449. Idem ad ann. 456. Idem ad ann. 465. S. Sidon. Apoll. Iulian. cit. ad an. 585

Eâ de re duo luculentissima produco testimonia. Alterum peto à S. Maximo Cæsaraugustano superiùs à me laudato, cùm de Hectoris nomine agerem, quod iterùm hîc exscribere piget. Alterum adduco ex Iuliano sæpe sæpiùs memorato, cuius hæc verba sunt rem totam conficientia: *Petro Toletano succedit in eâdem sede Hector, cognomento Ferrandus, Afer, qui fuit in Sede Carthaginensi Archidiaconus, scriptor nobilis, & Episcopus Carthaginis Spartariæ.* Quid clarius? Quid expressius? Ex quo testimonio lux maxima affulget Concilio Tarraconensi (quo Carthaginensis Ferrandi Pontificatus insigniter confirmatur) Illi enim Concilio sub Hormisdâ, Papâ celebrato ipse idem Ferrandus interfuit, & tertio loco ita subscripsit: *Hector Episcopus Carthaginensis Metropolita.* Quæ verba enucleare videtur operæ pretium.

Idem ad ann. 494. Loaisa in not. ad Cõcil. Tarrac.

Principiò, *Episcopum* se *Carthaginensem* appellat: scilicet in Hispania Tarraconensi. Nam *Carthago noua*, inquit

quit Ortelius, *in Hispania Tarraconensi Contestanorum maritima vrbs Ptolomao, & aliis*, cui id honoris obtigit, vt *S. Paulus Româ profectus, iam liber & vinculis absolutus, vbi Hispanias adiit nauibus gentium vectus, Carthagine Spartariâ exscenderit*, si Iuliano citato fides est. Hanc Plinius, Antoninus, & Appianus vnanimi consensu pariter *Spartariam*, *σπαρταγίνην* cognominant, quod sparto abundet; eius descriptionem habes apud Polibium, quem consules, si lubet. Secundo loco, se *Metropolitam* subscripsit in eo Concilio vnus, ac solus; cuncti duntaxat *Episcopos*. Ita enim Episcopus ipse Tarraconensis: *Ioannes in Christi nomine Episcopus Tarraconensis ciuitatis*. Quali autem è genere *Metropolitanorum* fuerit Ferrandus noster, inquiri potest. Etenim duo fuisse Metropolitarum genera iampridem annotarunt viri bene docti, Sirmondus noster, & Morinus, Oratorij Presbyter. Ego, quantum in re subobscurâ coniectari licet, non solùm nomine; sed etiam reipsâ, potestate fixâ, atque authoritate perpetuâ illum *Metropolitam* extitisse non dubito.

Ortel.
Iulian. Chron. cit. ad ann. 63. & ibid. Ramirez de Prado.
Plin. lib. 5. hist. cap. 2. & 8.
Vid. Bisciol. tom. 2. hor. subcel. in append. ad vlt. lib. cũ de Garo disputat.
Polyb. lib. 10.
Conc. Tarrac. cit.
Sirm. lib. 2. protrept. cap. 2.
Morin lib. 1. exerc. Eccl. c. 9. 10. 31.
Steph. Tornac. ep. 61.

Non stetit in eo gradu Ferrandus, verùm ad infulas euocatus Toletanas, *Hispaniarum Primas* effectus est. Illum ego libenter iisdem verbis compellem, quibus Stephanus Episcopus Tornacensis Petrum S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem alloquitur. *Iucundum mihi fateor spectaculum prabet recordatio vestri, dum quasi per graduum canticum ascendentem suspicio: dum à minoribus ad maiora* Ferrandum nostrum *hinc virtutes sibi rapiant, hinc honores. Gratia gratiam inuocat, gloria gloriam, vt cortina cortinam trahit; & iam plenè licet omnibus, qui in domo Dei sunt*, &c. & post pauca. *Amplector*, inquit, *scholarem* (dic Diaconum) *prosequor Archidiaconum, deosculor* non Abbatem, *sed Metropolitam Carthaginensem, reuereor* non Cardinalem, *sed Archiepiscopum, & Primatem Toletanum. His gradatim ascendentibus, & sibi succedentibus articulis arrident honores moribus, mores honoribus coexultant*, &c.

Sedem porrò Toletanam *ætate grauis* (vt Elogium sepulchrale cecinit) Ferrandus adiit, & vigesimusquintus Pontifex impleuit: vti vir longè doctissimus, Ioannes Iamayo Salazar, à me per literas consultus, suis Matriti IV. Id. Nouemb. 1645. ad me pro singulari suâ humanitate transmissis, in hæc verba docere dignatus est: *In nouis diptychis S. Ecclesiæ Toletanæ restitutus est noster Pontifex, 25 in numero Antistitum: vt congessit D. Thom. Tamago de Vargas in libello de veritate dextri, nouitate 7. fol. 121. Illustrissimus D. D. Didacus de Casteion, & Fonseca Episcopus Iuriasonensis lib. 1. de Primatu S. Ecclesiæ Toletanæ cap. 8. §. 8. fol. 120. tomo primo.* Sic D. Licentiatus oppidò vrbanitate conditus maximâ. Sapienter autem dixit (*in nouis diptychis*) quia *in antiquis tabulis* (eiusdẽ verba sunt) *quas bellorum & temporum fastidiosæ procellæ obliterarunt, nomen eius*, hoc est, Ferrandi, *non inuenitur. Causam expreßit noster Iulianus Archipresbyter S. Iustæ Toleti, in Chronico, num. 195. sic Diptycha Toletanorum Pontificum, tempore Gothorum, nimis damnata fuit, quam vidit diminutam S. Ildefonsus Pontifex Toletanus, in qua non legitur Olympius, nec Eugenius Martyr, nec Hector, nec Melanthius, nec Honoratus, Gregorius, Saturninus, Elpidius, & alij, qui à Pelagio ad Austurium nouem numerat: vel præcipuos opinione magnæ sanctitatis, aut egregiæ splendore doctrinæ.* Hactenus vir eruditus. Quapropter nemini mirum videri debet in catalogo Episcoporum Toletanorum, quem noster Schottus euulgauit, nullam de Ferrando fieri mentionem; imo neque Hectoris appellationem inter nomina Præsulum Toletanorum, quæ sculpta in sacrario Ecclesiæ Toletanę visuntur, reperiri, quemadmodũ Garsias, Loaisa olim citatus refert. Vt tamen dicam, quod sentio; haud scio, an incuriæ maximæ tribuere habeam hanc Hectoris Ferrandi præteritionem, cùm Crusenius conceptissimis verbis scripserit: *In Ecclesiâ Toletanâ extant, hi versus exprimentes cæterum vitæ Ferrandi*, ipsúmque adducat in medium Marquez; quo in

Loaisa cit. pag. 268.

Crusen. & Marq. loc. cit.

in carmine sepulchrali tam luculentum de Hectoris Ferrandi Episcopatu Toletano testimonium habeatur his verbis comprehensum:

Iámque ætate grauis Toletum pastor adisti,
Hanc sedem scriptis, vitâ, & honore iuuas.

Adde quòd elogij citati scriptor Montanum Hectori Ferrando suffectum post quatuor versus sic memorat.

Hinc tua Montanus vestigia pone secutus
Succedit celeber Pastor in vrbe tuâ.

At Montanum inter Episcopos Toletanos tam laudatus catalogus, quàm Iulianus Archipresbyter Toletanus, aliíque non pauci annumerarunt. Denique idem Epitaphium bis de eiusdem Ferrandi Episcopatu meminit, & hoc potissimum versu manifestissimè:

Toletum, fœlix vrbs, tantum nacta parentem.

Hîc Pennotus super Hectoris nostri Toletano Pontificatu Maximum, & Iulianum committit, quòd inter ipsos non satis benè, aptéque (vtquidem videtur) conueniat, cuinam Ferrandus in cathedrâ Toletanâ implenda successerit; vt propterea in hoc tanti viri Episcopatu vacillare fides apud aliquos possit. Enimverò S. Maximus (vt olim retuli) memorat *Petro Episcopo Toletano successisse Hectorem in Africâ Diaconum, dictum, Ferrandum, familiarem S. Fulgentij Ruspensis.* Iulianus verò *Palmato Episcopo Toletano successisse in eâdem sede, Hectorem, cognomento Ferrandum Afrum* testatur. Ergò hîc duo Chronographi sibi maximè aduersi, sunt à nobis conciliandi. Vtrique credo suffectum fuisse Ferrandum; Palmato quidem mediatè; immediatè verò ac proximè Petro: prius voluit Iulianus, posteriùs S. Maximus, quarum inter sese variantium opinionum origo, & caput hoc esse potuit: quòd fortè Petrus, qui Palmato proxime successor extitit, tam exiguo temporis interuallo, viduatam Palmato cathedram impleuerit, vt vix in Toletanorum Pontificum album de-

Pēnot. lib. 1. hist. gener. Canon. Regul. S. Aug. c 56.

buerit adſcribi. Quid ſi Iulianum Petri Pontificatus omninò latuerit? vel librariorum incuriâ (vti vtrumque nimium ſæpè vſu venire aſſolet) exciderit Petri mentio, concitatius in exſcribendo properantibus? vel vnus idémque fuerit Petrus Palmatus vt, teſte Iuliano, malè Cruſenius eſt opinatus, vt vt ſit; non eſt, quod veterrimis ſcriptoribus, Toleti Pontificatum Ferrandi ſtabilientibus fidem præ Pennoto, authore nupero, denegemus. Idem verò contigiſſe S. Montano, quem proximè diximus Hectori Ferrando fuiſſe ſuffectum me obſeruaſſe memoriâ memini. Ille ſiquidem, non immediatè Hectori noſtro, ſed Celſo ſucceſſor, Toletanam ſedem impleuit. Iulianum ſæpe ſæpius laudatum, & laudandum, de Tarraconenſi

Julian. Chron. N. 259. Concilio agentem audiamus: *Theodericus Amatus Rex Hiſpanus, interfuit Concilio Toletano; & anteà Concilio Tarraconenſi, cui interfuit etiam Hector Toletanus, cognomine Ferrandus, Hectori Toletano ſuccedit Celſus, vir natione Germanus, vir ſanctus, cuius agitur in Germaniâ dies, XXX. Maij,*

Idem ibid. N. 265. *vir fuit doctus.* Et poſt aliqua, *Celſo viro ſanctiſſimo ad Germaniam profecto, & ibidem ſanctè mortuo, ſuccedit Montanus, Archidiaconus Toletanus, doctus, & ſanctus.* Iuliano *præiuerat ſecunda* Toletanæ Eccleſiæ *diptycha pro ſpiritibus pauſantium*, vt ipſe loquitur, quâ tum clariſſima Ferrandi noſtri Pontificiæ dignitati lux affunditur, tum difficultatem propoſitam & præpoſitam apertè ſoluit in hæc

Idem ibid. N. 2. conceptiſſima verba: *Secunda: pro ſpiritibus pauſantium, Hilarij, Athanaſij, Martini, Ambroſij, Auguſtini, Heſychij, Maioriani, Serrani, qui & Auſturius, Caſtini, Campei, Iuliani, Sinticionis*, Palmati, Petri primi, Hectoris, Celſi, Montani, *Iuliani*, *Bacandæ*, &c. Ex quibus vides ſeriem Pontificum Toletanorum, de quibus nobis controuerſia eſt, non ſolùm eo digeſtam ordine, quem Iuliani Chronicon poſteritati tranſmiſit; verùm etiam adeò clarè, firmiterque ſtabilitam, vt in dubium reuocare, Ferrandúsne Palmato mediatè, Petro immediatè?

diatè? similiter Montanus Hectori Ferrando mediatè, immediatè Celso suffecti fuerint? dubitare quodammodo sit, Sólne meridianus cœlo innubi, nostro illucescat Orbi? Verùm nostram sententiam alio roboremus exemplo. S. Ildefonsus vir alioqui rerum Hispanicarum peritissimus, de Beato agens Isidoro, sic ait: *Isidorus post Leandrum fratrem Hispalensis sedis cathedram tenuit.* Leandro tamen immediatè successit Gordianus, ad quem post Leandri obitum Deus-dedit Pontifex Maximus dedit literas, quibus literis ipsum, *Episcopum Hispalensem*, inscribit, vt apud Gratianum legere est. Quapropter Gordiano S. Isidorus immediatè successor esset accensendus, cùm tamen Leandro fratri proximè, Hispalensem Episcopum, successorem Isidorum memoret Hildephonsus: eâ fortè de causâ, quòd non ita post à sede Hispalensi adeptâ, & aditâ, discedens à vitâ mortali immortalem vitam, æternámque in cælo sedem sit consequutus. Quin idem acciderit, cùm Ferrando, tum Montano Episcopis Toletanis, non dubito, præsertim cum duobus Scriptoribus antiquis maior habenda sit fides, quàm mutilis, & imperfectis tabulis, quales Toletanas fuisse prudenter Loaisa laudatus obseruauit, sicut de sacris diptychis Archipresbyter Iulianus. Hæc cùm ita sint apertissimè liquet, neque à S. Maximo, neque à Iuliano contra historiæ veritatem quidquam fuisse peccatum; nec ipsos inter se variantibus sententiis aduersos extitisse; quin imò vtrumque Ecclesiæ Toletanæ cathedram, & infulas Pontificias nostro Hectori Fulgentio Ferrando suis asseruisse, & confirmasse calculis, simul & scriptis. Exciderat penè scribenti è memoriâ è Iuliani chronico locus alius, quo Hectoris stabilitur Episcopatus; sic autem se habet: *Omnes Episcopi Africam mittuntur in exilium præter Hectorem.* Verùm à quo, & quam ob causam? Hîc Harpocrates sum.

S. Ildeph. lib. de vir. illustr. in Isidoro.

Cap. pœnit. 30. quæst. 1.

Loais. sup. cit. N. 1. & Iulian.

Ibid. N. 268.

Cæterùm Beato Ferrando ad Episcopales Ecclesiæ

Acta inter ep. S. Aug. 110.

Toletanæ infulas, suis egregiis meritis accito iure suspicari licet fuisse totidem verbis acclamatum, quod Eradio, S. Augustini successori designato dictum vicies quinquies, *olim dignus, olim meritus.*

Persentisco. Vellicat mihi aurem nescio quis, cui Ferrandi nostri geminus Episcopatus hactenus ignotus fuit, & vtrumque ab ipso abiudicare satagens infit. Agedum enimverò tu, quonam pacto Ferrandum primùm Carthaginis Spartariæ, tum Toletanæ ciuitatis Pontificem nobis exhibes, quem neque Facundus Episcopus Hermianensis, neque cæteri deinceps, qui eum in album Scriptorum Ecclesiasticorum retulerunt, nusquam *Episcopum*, sed *Diaconum Carthaginensem*, duntaxat appellare amauerunt? Hunc tibi scrupulum, mi homo, tàm facilè, (si te docilem præbes) quàm libenter ex animo euellam tuo. Illud ergo ab omnibus consultò factitatum credo, quòd eruditæ lucubrationes, quas Ferrando addicunt, tùm ab ipso fuissent elaboratæ, cùm Carthagine Diaconum ageret. An quia, vt nunc temporis, ita & illo Facundi æuo, Ferrandus noster Diaconi gradu, quàm Episcopali dignitate, toti Orbi Christiano notior erat? à notiori autem (vt vulgari passim iactatur axiomate) sumitur denominatio. An quòd Facundus, cùm Ferrando Gentilis existeret, hoc est, cùm ambo Africâ essent oriundi, maluit, in gratiam, & gloriam gentis suæ, illum à Diaconatu, quem in patrio solo gesserat, potiùs quàm ab Episcopatu, quem in Hispaniâ obtinuerat, nuncupare? An denique quòd recentiores Facundo Scriptores, Ferrandi nostri Episcopales infulæ penitùs latuerint? siue quia in Diptychis Carthaginensibus, & Toletanis (vti superiùs proximè memorauimus) peræquè Ferrandi, atque aliorum vitæ sanctimoniâ, simul & eruditione præstantium Episcoporum honorifica prætermissa fuit mentio, vbi Melantius, qui Concilio Eliberitano, ætate Constantini Imp. celebrato, numero decimus tertius

tius subscripsit? Hunc tamen Toletanæ silent tabulæ; quin idem de Ferrando dixerim? siue quia per tot temporum varietates, bellorum procellas, Hispaniarum iactationes, irruptiones Gentium diuersarum, Regnatorum multitudinem, cadauera Vrbium, populorum interneciones, Ecclesiasticarum tabularum interitus, aliásque id genus frequentissimas alternantis fortunæ, rerúmque humanarum vicissitudines, Ferrandi, tùm Episcopatus, tùm nomen penitùs exciderunt, quod vbique gentium Ecclesiis penè vniuersis contigisse, nouimus, conquerimur, deflemus omnes.

CAPVT XII.

Obitus, & sepultura.



OCCIDIT tandem in Hesperiâ Sol ille Africanus, Ecclesiæque (vt ita dicam) alter Hesperus, Fulgentius Ferrandus, atque Toleti situs est, vt hi loquuntur versus: *Iulian. Chron. cit.*

Isthæc te rosei carpentem luminis auras,
Vidit (scilicet Carthago) *& hæc* (Toletum) *supera carpere sedis iter.*
Illa dedit vitæ primordia labilis vsus,
Ista resurgentem læta videbit humo.
Toletum, Fœlix vrbs, tantum nacta parentem
Illius gremio continet ossa suo.

Viden vt elogij illius versus discrepent à Iuliani Archiepiscopi Toletani verbis super loco vbi B. Ferrandus viuere desiit? hæc autem sic se habent: *Iberiæ vel Ibris migrat ex hac vita anno Domini quadragesimo quinto supra quingentesimum.* Conditor enim laudati elogij B. Ferrandum *Toleti*, Iulianus autem *Iberiæ* diem suum obiisse memorant. *Iberia* verò apud Merulam, *opulentissi-*

ma quondam vrbs fuiſſe dicitur, quæ *Elix hodie putatur, circa Carthaginem veterem, in cuius agro Cornelius Scipio viciſſe Pœnos, totámque Hiſpaniam imperio Romano adieciſſe ſcribitur*: atque ab hac vrbe fluuium *Iberum*, & ab hoc Hiſpaniam vniuerſam, *Iberiam* traxiſſe nomen ferunt. Quî verò hi duo auctores conciliari valeant non video: certè (quæ mea eſt fides) in ſententiam Epitaphij ſcriptoris libentius concedo; quod Toleti beati Pontificis corpus conditum fuiſſe memoretur, vt mox dicam pluribus, imò & Toleto *ſuperæ ſedis iter carpſiſſe*.

Merula Coſmog. 2. part. lib. 2. cap. 7.

At in quem annum ipſius extrema dies inciderit non exigua ſubeſt difficultas. Primò quidem, quia in Chronicon Iuliani video irrepſiſſe varietatem numerorum, ex incuriâ eorum qui illud ediderunt: nam aliqui pro anno D X L. V. legunt, D X X V. vt Cruſenius loco citato. At quo pacto B. Ferrandus obierit ante S. Fulgentium, cuius ipſe paræneſim ab inſtitutore ſuo incœptam, & morte abrumpente necdum affectam perfecit, eámque ad Comitem Reginum tranſmiſit, vt eius optatis, & poſtulationi faceret ſatis? Fulgentium autem Iuſtiniani Imperatoris anno tertio, Chriſti quingenteſimo viceſimo nono duntaxat, è corporis ſtatione diſceſſiſſe, Baronius, Poſſeuinus, Petauius, aliíque complures atteſtantur. Prætereà idem Baronius aſſerit anno quingenteſimo triceſimo, *Anatolium, S. R. E. Diaconum conſuluiſſe Ferrandum Diaconum Carthaginenſis Eccleſiæ, Diſcipulum S. Fulgentii virum huius temporis doctrinâ inſignem*. Adde quod veroſimillimum eſt, B. Ferrandum vitam ſanctiſſimi Doctoris ſui non niſi poſt annum ab eius exitu exactum, in literas miſiſſe, miſſámque Feliciano ſucceſſori dedicaſſe. Cùm ergo S. Fulgentium conſtet vitâ functum, anno viceſimo nono ſupra quingenteſimum; conſequens eſt Ferrandum anno triceſimo vel iam elapſo, vel ad exitum præcipiti memoratam condidiſſe vitam. Quomodo igitur dici potuit à Cruſenio ex hac migraſſe, eiuſdem ſæculi viceſimo

Baro. tom. 7. cit. ad ann. 529. Poſſeu. in appar. ver. Ferrandus. *Petau. tom. 2. doct. tēp. lib. 13.*

mo quinto? Aliæ rationes mox referendæ multo validius idem confirmant.

Secundò Victor Tununensis vitam B. Ferrandi ad vicesimum primum Iustiniani Imperatoris annum produxit. At in numeros errorem irrepsisse suspicati sunt aliqui, quòd Ferrandus noster Anastasio imperante scripserit, quemadmodum Trithemius, Pithœus, & alij scripserunt. Etsi super illo errore numerorum eo libenter in eorum sententiam, rationem tamen non amplector. Rem enim non euincit hæc ratio. Nam esto. Scripserit sub Anastasio Ferrandus? quid tum? non scripserit sub Iustiniani imperio: idipsum pernego. scripsit, vel scribere occœpit, sub Anastasio imperante, Ferrandus adhuc Diaconus Carthaginẽsis; perrexit tamen scribere sub Iustiniano, vt proximè retuli. Nihílne deinceps ætate prouectior, & ad Carthaginenses, & Toletanas vocatus infulas literis mandarit? si negas, neganti silentium imponent hi ex elogio versus:

Iámque ætate grauis Toletum Pastor adisti,
Hanc sedem scriptis, vitâ, & honore iuuas.

Quid ergo illum ad Iustiniani Imperatoris tempora, stylo dedisse operam pro fide propugnandâ vetat? Iam verò annus vicesimus primus Imperatoris Iustiniani cadit in annum à Christo nato, quingentesimum quadragesimum septimum. At Diuus Ferrandus tunc in viuis esse non potuit, vt hæc Facundi verba manifestissimè significant: *Venerabiles Pelagius, & Anatolius, Romani Diaconi debitam officio suo, & loco sollicitudinem pro Ecclesiâ Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ, Ferrando Carthaginensi Diacono scripserunt.* Illæ enim voces (*laudabilis in Christo memoriæ*) non viuis, atque etiamnum spirantibus, sed iis duntaxat, qui iam è viuis excessere, solent accommodari. Cùm ergo Facundus ad Iustinianum scriberet, Christi anno quingentesimo quadragesimo sexto, vt refert Baronius, Imperatoris vicesimo: nemo non videt Diuum Ferrandum extremum spiritum non

Baron. ad ann. 547.

Facund. supr. cit. c. 3.

Baron. ad ann. 546.

antè profudisse; quàm anno quingentesimo quadragesimo quinto, vt Iulianus denarrat: ni fortè capularis (vti erat) senex aliquantò citius decessisse è vitâ credendus sit. Nam ad flectenda Ecclesiæ Toletanæ gubernacula non nisi *ætate grauis*, & *antiquus dierum* Præsul accessit.

Quærat fortasse nemo vnus quâ in Basilicâ beatissimi viri, exuuiæ cōpositæ fuerint? si mihi vati esse liceat, in altissimo scriptorum silentio nec temerè, nec vano affirmarim Diuum Ferrandum in æde Martyris Leocadiæ fuisse tumulatum. Non me præterit Antistites Toletanos ad Diuæ Mariæ, vulgò *de Alficen* dictæ, olim condi consueuisse, vt hæc me Iuliani docent verba: *Iulian. Chron. cit. n. 74. & 193.* *Paulatus, aliàs Pribatus Episcopus Toletanus ad annum* 280. *iacet cum antecessoribus suis ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, vulgò dicitur nunc de Alficen, quæ tertia fuit Toletanorum Ecclesia.* Verumtamen pariter in comperto est mihi, eosdem Toletanos Pontifices in æde S. Leocadiæ Virginis, & Martyris, Prætoriensis nuncupatæ, solitos fuisse deinde sepeliri. *Idem ibid. n. 315.* Testem produco eundem Iulianum: *S. Helladius sepultus est in æde S. Leocadiæ Prætoriensis, & suburbanæ. Et vigesimâ tertiâ die Ianuarij sub primam horam noctis* *Ib. n. 348.* *S. Ildefonsus, sapientiâ, vitæ sanctitate, meritisque clarissimus ad Cælum migrat. Corpus eius alterâ die, cum magno ciuium mærore in S. Leocadiæ basilicâ, vbi S. Virgo nata, educatáque est ad pedes prædecessoris sui S. Eugenij III. sepultus est, cui Iulianus discipulus carmen posuit.* Ibidem S. Leocadia nono *Ib. n. 345.* die Decēbris vino, videntíque Ildephonso se aspectabilem exhibuerat, *Et coram Rege Recinsuintho VVisigothorum, totáque Gothorum nobilitate, Clero, Episcopis nouemdecim suffraganeis, senatu, populóque Toletano eum laudarat; velum autem ipsum, quo ipsa tegebat caput, secari ipsa permiserat,* &c. *Ib. n. 354.* Item *S. Quiricus Pontifex Toletanus moritur, & ad S. Leocadiam regalem, vbi sacra, virgo nata est, sepelitur; posuit sepulchrale carmen Iulianus, post* ex Archidiacono *Toletanus Episcopus* atque, vt alios obuoluam silentio, Dominus

Licentiatus

Licentiatus de Salazar literis ad me datis idem confirmat suâ testificatione; ac stylo in hæc verba: *Si sacra Lipsana humata fuere Toleti, in æde S. Leocadiæ (vt moris erat) requiescunt: hodie illa illustris Basilica solo æquata est taliter, vt lapis supra lapidem non stet. In Cathedrali nulla memoria sepulchri est.* Hæc ille, & quidem verè, ac doctè luctuosam Basilicæ S. Leocadiæ à fundamentis excisæ attigit euersionem; quam Iulianus in hunc modum enarrat: anno 719. à Christi ortu, 25. *Maij capta est ciuitas Regia Toletum à Sarracenis sub hac pactione, vt relinquerent Sarraceni Christianis Muzarabibus sex templa, cætera autem* 28. *parocialia, aut diruta sunt, aut facta Mesquitæ Sarracenorum*: inter dirutas ædes sacras, quas piget exscribere, numeratur in paucis basilica S. Leocadiæ: quæ cùm sus déque fuerit euersa, sepulchrum pariter beati Ferrandi eius parietinis obrutũ funditus concidit. *Ib. n.*376.

Vix autem asseueranter affirmare velim peruetus illud elogium, quod Crusenius Epitaphium vocitat, inscriptum fuisse beati Pontificis tumulo; licet memoriâ meminerim id satis olim fuisse solemne, & tralatitium apud Hispanos, vt ex proximè laudato S. Quirici carmine sepulchrali, quod ipsi Iulianum posuisse retuli, satis supérque constat. Vtvt fuerit, certè perantiquum esse illud elogium, versuum ipsa scabrities, & inelegantia perquàm apertè testatur. Sic autem se habet eiuscemodi vitæ D. Ferrandi breuiarium in Ecclesiâ Toletanâ seruatum, & à Crusenio, & Marquez publici iuris factum.

Hector aue, sacer Antistes, Ferrande Beate,
Africa quem tellus gignit, Ibera vocat.
Annos te multos fruitur Carthago Ministro,
Defensor fidei viuus, & vltor eras.
Hæreticis noménque tuum, celebrésque libelli
Exosi, quò tu Malleus hæreticis.
Contigit inde tibi Fulgentius ipse Magister,
Lumen, & eximiæ relligionis honos.

Forrè correctiùs legas(quòd) *quàm* quò, *vel* queis.

Iámque ætate grauis Toletum Pastor adisti,
Hanc sedem scriptis, vitâ, & honore beas.
Tricenâ tandem Maij sub luce beatus,
Qui fueras exul, & pia turba simul.
Inde tamen Lybiam repetis per mille pericla
Doctor, & Antistes sydera calce premis.
Hinc tua Montanus vestigia pone sequutus
Subsedit celeber Pastor in vrbe tuâ.
Forsitan ille tuus fuit hac in sede Minister,
Moribus, ingenio, par quoque laude tibi?
Hector amans pecudum, vigilans, sine crimine Pastor,
O Ferrande, sacer Pastor, amice Dei.
Sit curæ Carthago tibi, te docta Magistro;
Dummodo Toleti sit tibi cura frequens.
Isthac te rosei carpentem luminis auras
Vidit, & hac superæ carpere sedis iter.
Illa dedit vitæ primordia labilis vsus:
Ista resurgentem læta videbit humo.
Toletum, fælix vrbs tantum nacta parentem,
Illius gremio continet ossa suo.
Et quem Pontificem quondam venerata recepit,
In sua Patronum commoda voce vocat.

Fortè melius succedit.

Hactenus paulò melior historicus, quàm bonus Poëta: cui beatus Pontifex multum, posteritas plurimum debet.

CAPVT XIII.

Virtutum Decora.



ERRANDI adhuc viuentis, spirantísque eximias virtutes, toti orbi Christiano ad hanc vsque diem penè obscuras, maximâ tamen luce illi prælucentes, tanquam in transcursu contemplemur.

Prima

Prima omnium ſeſe offert ἀρετῶν μήτηρ, *virtutum mater* (vt Clemens Alexandrinus loquitur) *fidei columbina ſimplicitas, & in ea propugnandâ ſtudium, Zeluſque ſingularis.* Hanc nos edocent ipſiuſmet ad Seuerum Conſtantinopolitanum ſcholaſticum verba: *Vtinam mihi fide ſimplici, quam Catholica per vniuerſum mundum docet Eccleſia, ſic donet eſſe contentum; vt omni, ſi fieri poteſt, huius vitæ miſerabili tempore, orationi, & ieiuniis vacans plangam cum puſillis fratribus meis delicta multa,* &c. *Fidem* verò *ſimplicem* vocat eam, quæ ſolâ reuelantis nititur authoritate, cœcam illam & humanis rationibus minimè fultam. Hac autem fidei virtute Diaconum noſtrum, Ferrandum, Diuo Stephano Diaconorum coryphæo perquàm ſimilem duco, vtpote quem S. Lucas electum fuiſſe memorat, *virum plenum fide, & Spiritu ſancto.* Quo pariter animi ardore fidem generoſus Chriſti miles propugnarit, non eſt, quòd importuniùs hoc loco repetam, & inutiliùs inculcem, quandoquidem illud ſatis ſupérque ſuperiùs edocui.

Clem. Alexand. li. 2. Strom. c. 3.
S. Ferr. ep. ad Seuer. vid. ſeq. c.
Act. cap. 6. v. 5.

Secunda, & huic proxima ſe prodit, *Summa erga ſedem Apoſtolicam, Concilia Oecumenica, & Romanum Pontificem obſeruantia.* Conſuluerat (vt olim audiuiſti) Seuerus, Scholaſticus Conſtantinopolitanus Ferrandum Diaconum; *Vtrùm* IESVS CHRISTVS *vnus eſſet de ſanctâ, & indiuiduâ Trinitate?* ad quem ille: *Interroga, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire principaliter Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, cuius ſana doctrina conſtat indicio veritatis, & fulcitur munimine authoritatis.* Et paulò ante finem Epiſtolæ, *deſiſtendum*, inquit, *à contentionibus reor; expectandum potiùs perſuadens, patientérque hanc dubitationem ferendam; donec vniuerſalis Eccleſiæ authoritate, vel pronuncietur ſuſcipienda, vel prodatur abiicienda.* Literis autem ad Anatolium vrbis Romæ Diaconum datis infit: *Poſt epiſtolam beati Papæ Leonis, & ſalubria Chalcedonenſis decreta Concilij, ſancte frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore diſputatione conuinci,* &c. Pelagio

S. Ferr. ep. ad Seuer.
Idem ep. ad Anatol.

ſimul & Anatolio S. R. E. Diaconis, pro Ibæ Epiſcop Edeſſeni Epiſtola, & tribus capitulis Concilij Chalcedonenſis aduerſus Acephalos ſcribens quanti faciendæ ſint Sanctorum Patrum & Conciliorum ſanctiones, & quâ veneratione ipſemet illas proſequeretur, hiſce verbis luculenter demonſtrat: *Non expedit antiquorum Patrum, qui Chalcedonenſi noſcuntur interfuiſſe Concilio, vituperari deliberationem, retractari iudicium, mutari ſententiam, ne ſynodus venerabilis apud omnes Eccleſias Orientis & Occidentis per annos tam plurimos ſine aliquâ dubitatione firmatâ, perdat ſubitò reuerentiam ſuam, nec poßit in definitionibus fidei robur inflexibile cuſtodire, ſi cœperit ex aliquâ parte fragilis aut reprehenſione digna conuinci. Quidquid ſemel ſtatuitur in Concilio, & congregatione Sanctorum Patrum, perpetuam debet obtinere firmitatem. Quâ enim fronte cantabimus: quanta audiuimus & cognouimus ea, & Patres noſtri narrauerunt nobis, ſi quoties libet, totiens licet, eorum decreta reſcindere? per illos ſapientißimos Iudices Eccleſia Catholica dixit, quod Eccleſia Catholica cuſtodiret, vel potiùs quod vſque nunc cuſtodiuit: cur hodiernis nunc iterum diſputationibus, minimè tunc reprobatam reprobamus Epiſtolam? fons eſt ſignatus Eccleſia Catholica,*&c. Et inferiùs, in commendationem Eccleſiæ Rom. Concilia, confirmantis, hæc habet oraculo ſimillima. *Vniuerſalia Concilia, præcipuè illa quibus Eccleſiæ Roman. cõſenſus acceßit,* SECVNDÆ AVTHORITATIS LOCVM POST CANONICOS LIBROS TENENT, &c. Quæ copioſiùs probare inſiſtit. Sileo ipſius erga ſacros Canones eximium ſtudium, & reuerentiam quòd ea in vno illorum breuiario ſe ſatis prodat.

Idem ep. ad Anat. & Pelag.

Pſ. 77. v. 3.

Tertia occurrit *humilitas, & ſui exquiſitus contemptus.* Emicat ea virtus longè, latéque in aureâ eius parænefi; ad Comitem Reginum tranſmiſſa. Cùm enim Ferrandum rogaſſet Comes, vt occœptam à Magiſtro ſuo Diuo Fulgentio de artibus militaribus diſputationem diſcipulus ad vmbilicum perduceret! *importabilem* (inquit vir humillimus) *ſarcinam ſuper humeros debiles ponis, vt*

S. Ferr. ep. ad Rheg. Comit.

vt iubeas me tanti viri, quasi hæreditarium debitum soluere. Nunquid ego sic repletus sum sapientia, sicut ille? Nunquid eadem mihi facultas eloquij? Nunquid similis data est authoritas dignitatis? aut vel ipsa saltem conuersationis innocentia talis est mihi, quem præteritis, & præsentibus excessibus implicatum mentis pariter, & corporis grauat infirmitas? & post pauca: *retractans merita iniquitatum mearum, superbiæ proximum iudico ducere alios per iustitiæ semitas, per quas ipse non ambulo, væ mihi misero, donec misereatur Altissimus.* Et rursus post aliqua: *ergo ego non bene viuens, quo modò rectè doceam?* Hinc est, quamobrem cum hæreticis in arenam descensurus, alienas preces tam impensè postulabat, vt audiuisti, suprà capite septimo ad calcem; hinc est, cur super aliquâ difficultate rogatus sententiam, alios vel ipse, vel ad alios consulendos consulentes hortabatur: adeò modicè, vel potiùs intra modum, de suo ingenio, & doctrinâ sentiebat: sed hominem præstat audire. *Ego*, inquit, S. Fulgentium alloquens, *qui ingenij pauperis laboro penuriâ, neque multis oblatrantibus curis, operari cibum sapientiæ quotidianâ diuinæ lectionis meditatione permittor, minùs etiam prævalens meis, id est, disputationum mearum viribus inuestigare dubia, explanare obscura, diuidere, & definire contraria, pulso crebris gemitibus ad Cælestis patris ianuam. Sed vbi rursus indignum, cui tam cito aperiatur, quod volo, memetipsum conuinco: tunc eos, qui de intimis regij cubiculi penetralibus accepisse dispensandam Domini mei pecuniam video, voce supplici deprecor, vt dignentur famem nostram modicis saltem sumptibus consolari*, &c. rursus pauculis interiectis: *profer obsecro de thesauro tuo, dispensator egregie, noua simul, & vetera, quibus indigentem locupletes, esurientem pascas, imperitum doceas, dubitanti quid sequatur, ostendas.* Multò verò vberiùs suam animi demissionem Ferrandus prodidit suis hisce ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum literis, ac verbis. *Magnorum virorum mihi negotium conaris adiungere, propter eos, qui Deum nostrum*

Idem ep. ad S. Fulg. de bapt. Æthiop.

Idem epist. ad Seuer.

IESUM *negant vnum esse de sanctâ, & indiuidua Trinitate, quid sentiam delectatus audire. Sed hoc fateor, ingenij mei pusillitas aut vix valet, aut assumere omnino non audet. Quis enim ego, aut qualis ego, cui liceat de dubiis rebus statutam proferre sententiam?* &c. *loquantur, & prædicent, quibus honor sacerdotij docendi authoritatem tribuit: nos discere parati sumus; docere alios non præsumimus*; &c. Eodem spectant illa quibus sanctum Fulgentium magistrum suum humillimus discipulus commonefacit, *Sæpe multa se voluisse affectu interrogare discendi*: quibúsque eundem rogat, vt se *inculto eloquio de rebus incognitis consulentem suauißimo melle cœlestis pascat sermonis*. Alia proferri possent maxima in summo Doctore sui contemptus argumenta; sed satis ex vngue Leo. Hac certe virtute illum eò illustriorem duces, quò gloriosiùs ex variis orbis prouinciis, quò sese eius fama intulerat, de difficillimis quibusque fidei nostræ quæstionibus per literas consulebatur. Audiuisti quà vetustos, quà recentiores Scriptores, pro Præsule nostro testimonium honorificentissimum ferentes: audiuisti præstantis ingenij, & doctrinæ reconditæ per quam illustria edita fuisse ab ipso monumenta; audiuisti quibus gradibus ad Ecclesiasticas dignitates, thronúmque Pontificium conscenderit: Deinceps audies ipsum claruisse miraculis, & post hæc, vir tantus, tam insigniter eruditus, tantâque vitæ sanctimoniâ conspicuus, datâ ad Egippium Presbyterum, siue Eugyppium Abbatem epistolâ, aliísque ad Pelagium, & Anatolium S.R.E. Diaconos missis literis, præ summâ modestiâ, & demissione, non semel sese *Exiguum* appellitauit.

Idem ep. de 5. quæst.

Quarta se profert virtus in Ferrando, *lectionis sacræ, & orationis amor eximius*; quem superius vota, ad Monasterium continenter anhelantis, à me relata satis supérque præ se ferunt. Eundem, se à quotidianâ rerum diuinarum lectione, & meditatione curis mini-

ſterij ſui oblatrantibus auocari, conquerentem audiuimus. Ex duplici autem capite ardens illud lectionis, & orationis ſtudium oriebatur, & quia Monachus, ſanctíque Fulgentij diſcipulus, & quia Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, ac deinceps Epiſcopus fuit. Primò enim inter principes exercitationes, quibus ſui propoſiti ſectatores, atque imprimis beati Fulgentij alumni excolebantur, ipſemet *lectionem & orationem* enumerat. Vt olim retuli. Quod certè minus miraberis, cùm apud eundem legeris, S. Fulgentium ſuis in Chriſto filiis exemplo præluxiſſe; auſculta. *Victus contemplatione meliorum, lectioni, & orationi tantùm vacare deſiderans, cogitauit diu quomodò ſarcinam præſentis oneris abiiceret, & ſub aliorum regimine ipſe potiùs conſtitutus, ſub regulâ viueret, quàm viuendi regulam cæteris traderet*, &c Et pòſt pauca, *ieiuniis inſuper, orationibus, vigiliis, & abſtinentia vacans*, &c. *Lectioni in cellula frequenter coram fratribus inſiſtebat.* E tanti magiſtri exemplo, ac diſciplinâ, lectionis, & orationis amorem Ferrandus hauſit, & licet grauiſſimis intricatus negotiis depoſuit nunquam. Secundò vt Diaconus, *cuius erat officium pro populo Deo preces offerre*, ſi Chryſoſtomum audimus, *& ipſum diuina perdocere*, multóque magis vt Pontifex, lectioni, & orationi Ferrandus noſter operam dedit indefeſſam. Repete memoriâ eiuſdem S. Fulgentio ſupplicantis verba. *Rogo etiam, vt librum de regulâ veræ fidei relegendum nobis iubeas deſtinare, & epiſtolam ad Ioannem Tarcenſem Epiſcopum, vbi de malefico quodam iudici non tradendo, memini pleniſſimè diſputatum. Codices duos ſuſcepi, & infanti Hermiæ proprium reddidi.* Ecce lectionis amatæ argumentum: en iam orationis excultæ: *iube etiam epiſtolam de oratione, quam ad me hîc poſitum mandare dignatus es, iterum huc ſcriptam dirigere. Dum enim pro ſplendore ſui à multis petitur ad legendum, faciente noſtra oblinione apud quem remanſerit, ignoramus.*

Supr. nos cap. 4.

S. Ferr. lib. vit. S. Fulg. c. 24.

Idem epiſt. cit.

Quinta refulget *abſtinentia & comes orationis ieiunium*,

Cogita quàm excellenti fuerit Fulgentij Ferrandi abstinentiâ, cùm vitæ religiosæ vitæ tyrocinium sub eo institutore posuerit, quem ipse his depingit coloribus:

S. Ferr. vit. S. Fulgent. c. 6. 14. *Beatus ergo Fulgentius supra credibilem modum laboribus abstinentiæ se cruciabat sine vino & oleo manducans & bibens, sic parcè, ac tenuiter, vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret, ac superductâ, quam dicunt, impetigine, delicati corporis pulchritudo fœdebatur.*

Ibid. c. 30. Adeò instituti propositi tenax fuit, *vt in quodam breui scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam Monasterium fabricari mandauerat, lectioni, & orationi, ac ieiuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gesserit*, &c. In eundem planè modum educatus ab abstinentissimo moderatore Ferrandus voluntariâ inediâ animum saginabat, dum corpus eâdem penè exhaustum mactaret. Atque hoc ipsum vnâ eadèmque periodo à me olim relatâ, in Seuero Constantinopolitano, posteris omnibus indicauit: Non aliter viuere potuit piissimus discipulus & alumnus, in oculis saltem eius institutoris, qui, teste, & referente ipsomet Ferrando, *Per singulas septimanas omnes Clericos, ac viduas, & quicunque potuisset ex laicis, quartâ & sextâ feriâ statuit ieiunare: quotidianis vigiliis, matutinis, & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes.* An potuit abesse à piis huiuscemodi exercitationibus ille, qui *se, diebus, at noctibus ante eum positum vixisse*, tam in exilio, quàm in Monasterio, luculenter professus est? Huc refero iugē à carnibus abstinentiam, quotidiana penè nudipedalia, humilem religiosarū vestium vilitatem, lecti duritiem, stragulorū, totiúsque cubicularis suppellectilis ditissimam paupertatem, quæ omnia discipulū optimum, ad sanctissimi Præsulis ac Magistri sui exemplum, piâ quadam æmulatione vsurpasse, ne dicam æquasse à nemine in dubium vocari potest.

Nos supr. cap. 4.

S. Ferr. ep. cit. ad Seuer. Sextam edo *rigidam silentij custodiam*, in quâ magnam suæ beatitatis partem se collocasse præ se tulit Diaconus noster, cuius hæc sunt ad Seuerum scriben-

tis conceptissima verba : *Beatum me tunc existimabo, quando positus in silentio Monasterij, illum versiculum Psalmi per momenta cantauero : Dixì custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ.* Profecisse credendus est, cùm B. Fulgentij exemplo domestico, tum Diui Augustini cohortatione, qui fratres suos in Eremo degentes olim in hæc verba monebat : *Vt silentium ament, ponentes custodiam ori suo.* *S. Aug. sermon. 3. ad ff. in eremo.*

Septimo loco numeratam volo, *excelsam animi generosi fortitudinem*, quam præ se tulit Hector noster, Hectore Troiano maior, in debellandis hæreticorum legionibus, quæ tùm temporis Ecclesiam Catholicam nimiùm quantùm validis impressionibus oppugnabant, & de quâ iam suprà satis, supérque disputatum est. Hanc in eo commendat S. Fulgentius, optimi discipuli Magister optimus, iuxta ac fortissimi alumni pater in Christo fortissimus, cùm epistolam ad ipsum datam hisce verbis conclusit : *Ora pro nobis semper vegetatus, & fortis in Christo, sancte & venerabilis Frater.* Mitto sagacem Beati Ferrandi *sapientiam*, quâ ne nimis saperet, *noluit suæ inniti prudentiæ*, de consilio Salomonis, sed potius alienæ : quemadmodum ex præclaris eius humilitatis facinoribus assequi nemo non potest. Eam liquidò hæc ipsius ad Pelagium, & Anatolium scribentis verba illustrant : *Quare enim diu silerem, nisi trepidarem, non veritatem dicere de quæstione nuper exortâ; sed silentibus adhuc Africanis Ecclesiis, ante tempus proferre sermonem?* Sileo cœcam, promptámque obedientiam, quâ non solùm in Cœnobio versans, Diaconíque munus suscipiens ; verùm etiam consulentibus respondendo obtemperans, se præstitisse monstrauit : hinc illa ad eosdem excusatio : *Si considerare dignemini, quàm festinus esse soleam semper ad obediendum iussionibus vestris, non minori deuotioni responsionis huius deputabitis moras.* Prætereo inuictam eiusdem *constantiam & patientiam* in ægritudinibus æquo animo perferendis, quibus ipsius *S. Fulg. ep. resp. de 2. quæst.* *S. Ferr. ep. ad Anat. & Pelag.*

mentem & fractum laboribus corpus fuisse paulò antè cognouisti. Reliquas tanti, tantáque virtute præditi viri dotes sigillatim referre pertæsus.

Vltimum in locum coniicio *Charitatem*, *quæ Deum & proximum* spectat, hæc enim in Beato Ferrando nimiùm quantùm enituit. Non repeto quæ superiùs de ipsius in Sardiniam deportatione, exiliíque repetiti laboribus, & ærumnis, de fidei, & amoris in Deum ardore, odio aduersus hæreticos, studio tuendæ religionis, zelo animorum, déque datis ad varios literis: malo vadem appellare S. Fulgentium. Is ab hac ipsâ virtute suum sanctum Fratrem, & Condiaconum in hæc verba commendat. *Gaudeo, sancte frater, quod in corde tuo flamma charitatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur, gratiâ subinde nutritur.* Quin & ipsum pro se ferentem testimonium audiamus? *simpliciter*, inquit ad Pelagium, & Anatolium scribens, *compellente iussione vestrâ, quod credimus, loquimur; vt scire dignemini, quia vobiscum sum corde, vobiscum fide, vobiscum secundùm bonam spem, vobiscum in charitate non fictâ.* Ecce tibi paucis tres virtutes Theologicas, hoc est, virtutum Principes comprehensas. Recordare singularem eius vigilantiam in ouium sibi commissarum salute procurandâ, quam vigilantiam ex præstanti, quâ & illas, & Deum prosequebatur, charitate profectam, hi carminis sepulchralis, siue elogij versus probant luculentissimè:

S. Fulg. loc. prox. cit. S. Ferr. loc. cit.

Hector amans pecudum, vigilans sine crimine Pastor,
O Ferrande, sacer Præsul, amice Dei.

Redeant in memoriam cùm amantissimæ illæ ad S. Fulgentium, scribentis Diaconi etiamnum, Ferrandi salutationes: *Sanctos Presbyteros, Diaconos, beatámque Congregationem supplex saluto*: tum amica illa suspiria, quibus pusillorum suorum fratrum, quibuscum exercitationes monasticas coniunctissimis animis obire consueuerat, contubernium amissum deplorat. In quibus omnibus eximia charitas mirum in modum promicat, & amatur.

S. Ferr. ep. de 5. quæst. & ad Seuer.

CAPVT

CAPVT XIV.

Erga SS. Trinitatem, Christum, & Mariam pietas.



E, sancta, & indiuidua Trinitas; te, Christe Optime, Maxime; te, Virgo beatissima, summísque, infimísque precibus supplex veniam oro, rogóque, caducæ, fluxæque memoriæ meæ; quòd calamo nimiùm velociter scribente, atque præcipiti, tantumnun ex animo exciderit mihi, de Diui Ferrandi erga vos eximiâ pietate, ardoréque incredibili majestatem vestram, quà ore, quà stylo, aduersus hæreticorum factiones propugnandi, edisserere. Fecissem æquè tibi, & illis, Ferrande piissime, grauem iniuriam, si labilis memoriæ memor atque erroris, obstinassem animum penitùs conticescere, quæ tu pro illorum gloriâ contra Arianos, eiusdémque farinæ heterodoxos, pereruditè simul & Moriones, fœliciter disputasti.

Ferrandus ergo noster apertissimè pluribus locis testatum reliquit quâ fide, ac religione augustissimum Trinitatis mysterium prosequeretur, ac coleret. Primùm quidem auream illam ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum epistolam suam nobili hac fidei professione, quasi adamante ornatam illuminauit. *Sufficit mihi, propter Petri manifestam sententiam, quæ fidelibus cunctis generaliter loquitur; parati ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide, & spe, quæ in vobis est, sciscitanti quomodo credamus, illicò respondere: Credere nos in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Patrem à nullo genitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum sanctum de Patre ingenito, & Filio vnigenito semper procedentem*, &c. Comitem verò Reginum impensè hortatur, vt militaribus actibus occupatum singularis coquat cu-

Idem epist. ad Seuer. & ad Eugipp.

ra, fidem defendendi inter arma, & gladios, eandémque persuadendi mentibus armatorum: *Fides autem catholica est, Patris & Filij, & Spiritus sancti vnam contra Arium substantiam, vel essentiam, tres aduersus Sabellium prædicare personas; vt cùm bene intellecta fuerit in essentiâ vnitas, in personis proprietas; vera quoque in maiestate adoretur æqualitas. Tres enim sunt, quia alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: sed hi tres vnum sunt, & summè vnum sunt*, &c. Hæc & alia piissimus Augustissimæ Triados Præco, & generosissimus propugnator.

Idem epist. ad Regin. Com.

Non minori contentione pro Christo noster Diaconus decertauit. Ipsum enim verè vnum esse, non vnitate naturæ, sed vnitate personæ diuinæ, tum Presbyterum Egyppium, tum Seuerum edocet, ne ab Eutychianis in errorem præcipites agerentur. Idem Comiti Regino inculcat, studioséque ipsum satagit animare ad eam fidem infidis suorum militum mentibus instillandam: *Verbum ita suscepisse substantiæ nostræ vnitatem, ne persona suæ duplicaret singularitatem, duarum substantiarum gigas; sed vnus tamen, eiusdémque persona. Verbum quippe ante carnem, vna natura, & vna persona: Verbum caro factum, duæ naturæ, & vna persona*, &c. Ideóque contra Arianos sequi, IESVM CHRISTVM, vnum esse de sanctâ, & indiuiduâ Trinitate; simul & aduersus Eutychianos, Nestorianos, atque Sabellianos eundem vnum de Trinitate natum, passum, & crucifixum fuisse, non quidem in suâ Diuinitate, quam omnes impassibilem confitentur, sed in carne passibili, pro mortalium salute, misericorditer assumptâ, dimisâ nunquam. *Possunt hæ duæ substantiæ in Christo, siue inuicem loquendo, proferri; siue inuicem credendo cognosci.* Vt pluribus deinceps insistit confirmare.

Ibidem.

Beatissimæ quoque Virginis Deiparæ Mariæ longè eminentissimam dignitatem, mirabilem parientis virginitatem, atque adeò immaculatam conceptæ sanctitatem sartam tectam tueri religiosissimus noster Diaconus

conus, nequicquam Neſtorianis, Eutychianis, Acephalis, & aliis id genus hæreticis frendentibus, pari ſtudio, ac fœlicitate allaborauit. Deiparæ quidem dignitatem, *Quoniam ſi ſecundùm quod hæreticus ſapuit, immò potiùs deſipuit* (verba Ferrandi ſunt) *caro Verbi Dei ſecundùm carnem naſcentis, à carne Virginis pronunciatur extranea, ſine causâ Filius Dei, etiam Filius hominis factus adſeritur. Quomodò enim naturaliter Filius eſt hominis, qui originem non habet ex homine? Nullam verò originem habet ex homine, ſi conceptus in vtero virginali carnem non traxit ex carne.* Quapropter cùm Filius Dei, verè, & propriè factus ſit homo, & è Virginea Mariæ aluo infans ceciderit, non immeritò verè, ac propriè Matrem Dei, Beatam Mariam credendam eſſe concludit: *Ex Mariâ enim ſemper Virgine nec Diuinitas naſci potuit ſine humanitate, nec humanitas ſine Diuinitate.* Parientis autem virginitatem tùm allatis proximè verbis, tum aliis paſſim per omnes ſuas epiſtolas ſparſis vir pius, & perquàm eruditus confirmat. Obiicientibus verò Filium Dei *factum ex muliere*, vt aſſerit Paulus: appoſitè magnus reſpondet Theologus: *Mulier hìc ſemper Virgo Maria, ſexus nomine mulier nuncupatur. quæ propterea ſaluo pudore, concepit, & peperit Deum; quia de eâ veritatem carnis Deus homo factus accepit.* Ad extremum immaculatam conceptæ Mariæ ſanctitatem inſigniter his verbis profeſſus eſt: *In carne non habentis omnino peccatum, per quam ianuam voluntaria mors introiret, niſi de carne eius naſceretur, cui potuit ineſſe peccatum; & per peccatum mors.* Ne curſim hæc verba prætervola; ſed primò expende quàm conſultè Diaconus noſter dixerit tantùm, carni Beatæ Virginis *potuiſſe ineſſe peccatum*; non autem reipsâ peccatum inhæſiſſe; *anteuertente ſcilicet naturam gratiâ*, vt S. loquitur Damaſcenus; imò hoc ipſo, quòd tantùm dixerit Deiparæ Virgini, *peccatum ineſſe potuiſſe*, ſatis apertè ſignificauit, nullo pacto peccatum originis illi reipsâ inhæſiſſe. Tam enim facilè, imò maiori compendio dicere poterat:

Idem epiſt. ad Anat.

S. Paul. Galat. c.4. v.4.

S.Ferr.ibid.

Idem ibid.

S.Io. Damaſc.or.de Natiu. B. V.

Cui

Cui fuit peccatum, vel etiam *debuit inesse peccatum*, quàm *cui potuit inesse peccatum*: Ab illis verò abstinuit verbis; hæc, piè de immaculatâ B. Virginis conceptione sentiens, scribens, loquens, ac docens, consultò vsurpauit. Quòd autem potuit Maria contrahere peccatum, non sequitur eam reipsâ contraxisse, potissimùm quum pro eo non contrahendo aliunde suppetant, & militent plurimæ, eæque potentissimæ, iuxta ac iustissimæ rationes. Secundò aduerte doctissimum Theologum subobscurè docuisse, vel certè voluisse significare, *ne debitum quidem peccati originalis* (vt vulgò loqui amant Theologi) in Deiparam cecidisse. Nam tametsi *Mariæ potuit inesse peccatum*, non continuò consequens est illud, ipsam debuisse contrahere, vt iam nunc reconditæ eruditionis, & magnæ virtutis viros censere, ac mordicùs tueri, Poza, Salazar, aliíque ex vnâ nostrâ Societate Theologi referunt, & in quorum ipsi sententiam magnis animis eunt, totisque viribus, vt verò simillimam piè propugnant. Hoc certè nomine tàm fœlices, quàm securi, quòd valentissimum Marianæ innocentiæ assertorem sibi præeuntem habeant, Sanctum Ferrandum. Tertiò, si *Beata Mariæ* concipiendæ, & conceptæ *potuit inesse peccatum originis*, agedum cur eidem non potuit inesse gratia, æquiualens iustitiæ originis, ex singulari Dei legislatoris priuilegio & dispensatione? Non potuit vir æquè pius, ac prudens à Magistri sensis, & fide discedere. Sanctus enim Fulgentius quàm rectè de immaculatâ conceptione B. Virginis senserit, Hæc significant ipsius verba: *Cùm dixit Angelus*, gratiâ plena, *ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam gratiam restitutam.* At quomodò potuit *ex integro ira primæ sententia exclusa, & plena gratiâ restituta* esse in B. Virgine Deiparâ, si peccato originis afflatam, & infectam aliquando credas? Habent ergò hîc Theologi, Marianæ, vel ab ipso conceptu

Poza elucid. Deip. tract. 5. & seq. Salaz. defens. pro Concept. immacul. cap. 5. & seq.

S. Fulgent. serm. de laud. B.V.

puritatis

puritatis propugnatores nouum, & amentatum ab eruditâ B. Ferrandi pharetrâ telum.

CAPVT XV.

Diui Ferrandi Beatitas, & sancti nomenclatura.

APPOSITE peræquè, ac sapienter in quibusdam operum Ferrandi nostri editionibus, *sancti* titulum ipsius nomini præfixere viri prudentes, & de tanti Præsulis virtute, ac meritis bene admodum sentientes. His accensendum video doctissimum interpretem, simul & Scholiastem operũ sanctissimi Gregorij Thaumaturgi, qui disputans de intolerando errore Orientalium, qui vnam duntaxat in Christo naturam impiè constituebant, sic scribit. *De hoc quoque extat hodie sancti Ferrandi, contra Arianos, & Eutychianos, ad Anatolium Diaconum vrbis Romæ epistola, quæ anteà nunquam edita, nuper Romæ inter opuscula sancti Ferrandi, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi, studio, atque industriâ eruditissimi Achillis Statij prodiit, vbi egregiè Orientalium eiusmodi hæresis execrata confutatur.* Hactenus Gerardus Vossius, quem vides non esse veritum, Ferrandum nostrum semel iterumque, *sancti* nomenclatione exornare.

Ger. Voss Schol. in serm.4. de Ascens. S. Gregor. Thaum. p.21.

Licuerit nimirùm illis, quod vel Gentilibus licuit: hi verò *Sancti*, imo & *sanctissimi* nomine ornare in moribus, vsúque quotidiano habebant, vel quos insigni aliquo Deorum dono, atque munere commendari videbant, vt Poëtas Ennius, Achillem Cicero, & Imperatores, etsi omni flagitiorum genere coopertos, antiquæ inscriptiones vocitarunt: vel quos vitæ innocentiâ ad Deorum (si superis placet) virtutes propiùs credebant accedere.

La Cerd. lib. aduers. sacr. c.35. n.12.

Sancta ad vos anima, atque illius inscia culpæ,
Descendam.

Virg. l.12. Æn. vt ibid. Seru. Pont. La Cerd. &c. interp.

Inquit, apud Maronem, Turnus pios Manes affatus
vel quos, Principes,ac Respublicæ,Oratores legebant.
Hæc cùm ita sint, Ferrandum à Christianis *Sanctum* au-
dire cur non liceat, quem vidimus tot Dei muneribus
ornatum, tot cumulatũ virtutibus, tot honoribus circũ-
fusum, atque adeo eximiâ vitæ sanctimoniâ præcellen-
2.*Cor. c.*5. tem? nunquid ipse pariter *legatione pro Christo* functus,
*v.*20.*Eph.* vt verbis Apostoli vtar, tam heterodoxos, quàm ortho-
*c.*6.*v.*20. doxos docere diuina sategit pro virili?

Luc. 2. Licuerit illis, quod licuit Iudæis, apud quos primo-
*v.*23. geniti aliâ nullâ dote commendabiles, quàm quòd
Deo sacri forent, *Sancti* vocitabantur: apud quos diuinis
*Leu. c.*21. ministeriis, siuè in terra, siuè in cœlis, addicti, & inau-
*v.*6. & 8. gurati, *sancti* fuere: in terrâ quidem Sacerdotes, & Le-
Num. cap. uitæ; in cœlis verò Angeli: apud quos denique vni-
16. *v.* 5. uersi, ac singuli quique, *Sanctorum* titulo decorati sunt,
& 7. vel quòd Deo sanctitatis authori essent mancipati, &
Exod. cap. in *gentem sanctam*, & *populum sanctum* ex omnibus mun-
19.*v.* 6. di nationibus electi forent; vel quòd ad sanctitatem
*Deut. c.*7. capescendam vocarentur. Et iam Ferrandum dubites
v. 6. 14. *Sanctum* nuncupare, qui Angelis ipsis cùm sacerdotio,
v. 2. &c. tum Pontificali dignitate, factus superior, vni Deo ma-
*Num.*16. ximâ cum vitæ, morúmque integritate seruitutem
*v.*3.*Tob.*8. seruiuit?
*v.*5.

*Act. c.*26. Licuerit ad vltimum illis, quòd Christianis, quibus
v. 10. & tralatitium est *Sanctos* se mutuò appellare, Sanctorum
18. *Rom.* Apostolorum Petri, Pauli, Ioannis & Lucæ exemplo,
*c.*1.*v.*7.& qui honorifico illo titulo Christianos omnes, omnes or-
alibi pas- nare minimè dubitarunt. At quo iure? An quia aureo
sim D. Pet. illo Apostolorum sæculo, quotquot fidem amplexi
1.*c.v.*5.& erant Christianam, eximiâ præstarent vitæ sanctitate?
2.*c.*3.*v.*5. an quòd Christiani omnes sanctitatem teneantur adi-
Apoc. cap. pisci, licet pauci plerumque assequantur? an quòd om-
13.*v.*7. nes Deo, Sancto Sanctorum, & sanctitatis authori, ac
& 10.&c. satori per baptismum sint consecrati, per Christi pas-
sionem sanctitatem promeriti, & per Eucharistiam ad
omnem

omnem ſanctitatem innutriti adoleſcant? An denique quòd eximia vitæ ſanctitudo, etſi in perpaucis fidelibus, eluceſcat; nihil tamen obſtat, quin in omnes Chriſtianos *Sanctorum* appellatio cadere poſſit, quandiu Chriſto Sanctorum effectori, per fidem, imitationem, & vſurpationem ſacramentorum, velut corpori membra, vniti connexiquè indiuulsè adhæreſcant? Hinc collige, quàm optimo iure Ferrandum, exquiſitâ fide, ac ſanctimoniâ virum, vníque Deo, Sanctorum ſanctiſſimo, ſacrum, & multiplici nexu aſtrictum, *Sancti* titulo inſignire illis fas fuerit, qui editis ipſius, opuſculis, glorioſam hanc nomenclationem præfixerunt.

Verùm, vt rem preſſiùs exequamur; perquàm, opportunè à Diuo Auguſtino edictum eſt. *Nihil mirum, hoc, quum nuncupatio Sancti, tunc ſatis communis fuerit Chriſtianis*, præſertim Eccleſiaſticis, Primò *Monachis*, eorumque moderatoribus, Caſſianus, Palladius, Petrus Cellenſis, docuerunt id nominis adhæſiſſe: imo Monachos non ſimpliciter *Sanctos*, ſed inſuper *Sanctos Dei* video nominatos. Peregregius eſt ille Saluiani locus cuius hæc verba ſunt: *Ita igitur & in Monachis, id eſt, ſanctis Dei, Afrorum probatur odium.* Secundò *Clericos* appellatos fuiſſe *Sanctos* vel ipſius Ferrandi ſapientiſſimus Magiſter, S. Fulgentius diſcipulum ſuum iam creatum Diaconum, *Sanctum* ſalutat: ipſe quoque Magiſtri veſtigia ſequutus Preſbyteros, Diaconos, & *Sanctos Fratres* ſaluere iubet. Tertiò *Epiſcopos* non modo *Sanctos*; ſed etiam *ſanctiſſimos*, Diuus Hieronymus Alipium, & Auguſtinum appellat. Tandem *ſummis* duntaxat *Pontificibus* nomen *ſanctiſsimi* adhæſit, vt lippis, & tonſoribus notum eſt. Hæc cum ita ſint, næ i iniquus omnino ſit, qui Ferrandum primùm monaſticam profeſſum vitam; tum in Clerum è Monacho accitum, deinde Diaconum Eccleſiæ Carthaginenſi addictum; poſteà Carthaginis Spartariæ creatum Epiſcopum: Denique

S. Aug. lib. 4. contr. 2. ep. Pelag. c. 4.
S. Ferr. ſup. cit. Caſſ. coll. 1. c. 1.
Pallad. in Lauſia.
Pet. Cellenſ. epiſt. 44.
Saluian. lib. 8. de gubern.
Nos ſupr. c. 14.
S. Hieron. ep. 79. vid. Pancirol. theſ. var. lect. lib. 1. c. 1. de vocibus Sancti & ſanctiſſimi.

ad infulas Toletanas euocatum , *Sancti* appellatione priuare audeat.

Reliquum eſt , vt iuxta vulgarem nominis *Sancti* (vt nunc eſt) interpretationem , quâ is propriè *Sanctus* vulgò indigetatur , qui ſolemni conſecratione (quam canoniſationem dicimus) fuerit vindicatus , & in Beatorum adſcriptus album , Ferrandum noſtrum verè ac propriè *Sanctum* fuiſſe , indigetari Sancti appellatione, & tanquam Sanctum ad vota vocari poſſe , ac debere breuiter demonſtremus.Principiò quàm multos Eccleſiæ priuatæ Sanctos deuenerantur , vidente, ferente, tacitoque conſenſu approbante Pontifice, quos nulla ipſius apotheoſis, ac vindicatio , ſed ſola Fidelium pietas conſecrauit ? Quo igitur iure *Ferrandum* de Eccleſiâ Dei optimè meritum , ſuâ virtute , & Hiſpaniarum imprimis vnanimi conſenſu , ac pietate iam à tot ſæculis conſecratum,*Sancti* titulo,& honore interdictum velis?

Conferamus propiùs pedem. Agedum quid in Sancto vindicato requiras ? vitæne Sanctimoniam , Ortodoxâ fide , ſpe firmâ , ardenti in Deum , ac proximum charitate , moribus caſtis , orationis dono , maceratione carnis , laborum tolerantiâ , malorum perpeſſione, animorum zelo , ſtrenuiſque omnigenæ virtutis facinoribus confirmatam ? vidiſti ex dictis , quantùm in eâ parte præſtiterit Ferrandus noſter. Poſtules prodigiorum mirabilitatem ? illa claruiſſe Beatum Ferrandum ex Iuliano Archipreſbytero Toletano inaudiuiſti. O vtinam miraculorum ab illo patratorum hiſtoriam, & luculentiſſima monumenta tempus edax rerum , & bellorum procellæ poſteritati non ſubripuiſſent. Illam iacturam deflere poſſumus , non reſarcire. Exigas locupletium teſtium nubem ? habes S. Fulgentium, Facundum Hermianenſem , Maximum Cæſarauguſtanum , Iulianum Toletanum , Baronium , & ne ſingulos reuocem , alios complures omni exceptione maiores , vt non immeritò Trithemius Ferrandum non

minus *ſanctitate conuerſationis*, *quàm doctrinâ venerabilem* vocet. Requiras conſtantem ſanctitatis famam, populorum erga ipſum pietatem, oppidorum in eo colendo ſtudium? Iam elogium ſæpe ſæpius laudatum ſatis ſupérque docere te potuit, quo ardore Hiſpania, & in paucis Toletum, Regia ciuitas, *in ſua commoda Patronum vocauerit* Archipræſulem ſuum, Ferrandum vitâ functum, imo in ſuorum animis poſt fata viuentem. *Trith. ſup. cit. de ſcr. Eccl. Bigniui Bibl. PP.*

His necdum ſtatum velim, ſed ad Diui Ferrandi beatitatem confirmandam, & illuſtrandam magis, Diptycha produco Toletana. Etenim *Sancta Eccleſia Toletana*, Iuliano ſæpius laudato teſte, *ſicut & cæteræ Hiſpaniarum,& Mundi ſedes Diptyticha ſua habent, ſicut & tabulas*. Horum diptychorum ſecundum genus, *quod pro ſpiritu pauſantium eſt*, bene multos Antitiſtes ſanctitatis famâ percelebres complectitur, tàm exteros quàm Hiſpaniâ oriundos, quos inter *Palmatus*, *Petrus primus*, *Hector*, *Celſus*, *Montanus*, & reliqui multi numerantur. Ecce tibi *Hectorem*, non alium dubio procul, quàm noſtrum *Hectorem,Fulgentium*, *Ferrandum*, eiúſque anteceſſores, ſimul, & ſucceſſores nominatim recenſitos. Retuliſſe me olim memini eundem Iulianum merito conquerentem *Diptycha Toletanorum Pontificum diminuta*, à S.Ildefonſo Pontifice Toletano viſa fuiſſe, *in quibus non legebatur Olympius Martyr, nec Hector, nec Melanthius, nec Honoratus, Gregorius, Saturninus, Epidius, & alij*, quos nouem à Pelagio numerat ad Auſturium, *vel præcipuos opinione magnæ ſanctitatis, aut egregiæ ſplendore doctrinæ*, O incuriam! vel iacturam Beati Ferrandi gloriæ, quàm maximè iniuriam! *Iulian. Chron. cit. n.1.& 2.* *Idem ibid. n.11.*

Ad ſummam, vt rem totam penitùs euincamus, locupletiſſimi teſtis, Domini Ioannis Iamaye Salazar, Licentiati, aſſeueratione, conceptiſſimíſque verbis potiùs, quàm meis vtendum reor. Is ergò (vt non ita pridem dicebam) literis ad me conſulentem ſemel, ite- *Supr.c.12.*

rũque pro singulari suâ humanitate datis, quis suus, quis recentiorum authorum, quis totius veteris, nouæque Hispaniæ Christianæ, super sancti Ferrandi beatitate, fuerit olim, & sit etiamnum sensus, in hunc modum me docet. *Hectoris autem Ferrandi tui, & nostri, Toletani Præsulis acta à te concinnata, vt meam tuo nomine illustrent opellam & desidero & efflagito. Quidquid de illo nostra seruauit, & conseruauit antiquitas, locis authorum interlineatum amœbæis, seu alternis, vt iubes, remittere satagam. En integrum elogium quod* 31. *Maij in peruetusto codice comperi.*

> Toleti Hispaniæ depositio B. Hectoris cognomento Ferrandi Carthaginensis Metropolis Episcopi, & Confessoris, Sancti quoque Fulgentij Ruspensis Præsulis, ciuis Toletani, Synchronos fuit.

P. Hieronymus Roman de la Higuera, è Societate tuâ: vir (cui tota submittit in antiquitatum Ecclesiasticarum comprehensione, Hispana eruditio fasces) religiosus & plausibilis, in Martyrologio, quod Hispano sermone posteris M. S. reliquit, & in celebri Clariss. Viri D. D. Laurentij Ramirez de Prado, nostro Regi Catholico à Consiliis, originaliter Bibliothecâ seruatur, cuius copiam exscripsi, eodem die, fere sugillauit verba. En mea, in Martyrologio Hispano.

> S. Hector Ferrandus Afer, discipulus B. Fulgentij Episcopi Ruspensis, ex Toleto Hispani, à quo Carthaginẽsis Ecclesiæ Archidiaconus appellatus; post Metropolis Carthaginensis Hispaniæ, cuius sedes Toleto adscribitur, Episcopus insignitus: aliquibus interfuit Hispanis Conciliis; nonnulla eruditionis, & doctrinæ conscripsit volumina, tandem bonorum operum plenus, ad Dominum illustris migrat confessor.

Hæc perquã eruditus, & clarissimus Dominus Salazar, suis Matriti 11. August. M D C X X V I. ad me datis. Prioribus verò aliis ibidem exaratis 3. id Nou. 1645. consulenti mihi, nùm in Hispaniâ iam, vel olim, in horis Canonicis, ac super incruentũ Missæ sacrificium, Diui

Ferrandi

Ferrandi memoria celebraretur? in hæc verba vir humanissimus respondit: *In quantum ad recitationem* (scilicet horarum Canonicarum) *post Concilij Tridentini, & Pij V. Pontif. Max. prohibitionem, quâ in omnibus Ecclesiis Hispaniæ receptum fuit Breuiarium ipsius sanctißimi Patris, pausam fecere antiquorum Sanctorum officia. At in quodam peruetusto Manuali S. Ecclesiæ Toletanæ, ab hinc CCLVIII. annis excuso, quod penes me est, hanc reperi orationem.*

Ecclesiam tuam, Deus, beati Ferrandi, Episcopi, & Confessoris tui solemnitas votiua lætificet, vt spiritualibus semper muniamur auxiliis, & gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dominum nostrum, &c.

Hactenus amplissimi, viri, & locupletissimi testis literæ, S. Ferrrandi nostri beatitatis assertrices omni exceptione maiores.

Quòd si miracula, quibus Ferrandum claruisse ex Iuliano Crusenius refert (at quàm verè idem viderit: ego certè de his in Chronico Iuliani, quod Clariss. vir, Ramirez à Prado ex Bibliothecâ Oliuariensi erutum typis edi accurauit, ac publici iuris fecit; ne verbulum quidem legi, offendíve) si, inquam miracula, quæ à Ferrando nostro dicuntur patrata, superiùs allatis rationibus, testimoniisque adiecta velis, sanctissimi Præsulis beatitatem, & adeptam in cœlis gloriam non mediocriter confirmabunt. Verùm de eiuscemodi miraculis apud scriptores sacros altissimum silentium est; nisi apud Sardos, Cæsaraugustanos, & Toletanos, in quorum oculis, & vrbibus vixit, extet aliqua etiamnum ipsorum memoria, vti par esset, ni temporum iniuriæ eam penitus corrupissent: quandoquidem apud illos diu versatus beatissimus vir, mirabilem in edendis miraculis vim sibi diuinitus affusam, non potuit non explicare. Vt autem manum aliquando de tabulâ tollamus, paucis beatissimum Cælitem verbis iisdem, quibus sanctam Paulam Diuus Hieronymus confectâ ipsius vitâ, olim affatus est, ego pariter Ferrandi sanctissimi

ctissimi vtcunque descriptis præclarissimis facinoribus, supplicabundus compellabo. *Vale, ô Ferrande beatissime, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua; fides, & opera tua Christo te sociant; præsens faciliùs, quod postulas, impetrabis. Exegi monumentum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas.* Et si quid, pro tantulæ erga te obseruantiæ meæ monumento, mereri homuncio potui; me tuum nomine, Ferrandum, fac tecum virtute, ac fœlicitate, Ferrandum. Amen, Amen.

S. Hieron. epist. 27.

Capvt vltimvm

Aliquot S. Ferrandi Parelia.

ÆQVO, vt spes *est, animo feret Humanissimus Lector, me rerum à S. Ferrando piè, præclaréque gestarum narrationi hoc extremum caput, de aliquot *Ferrandis*, siue *Fernandis*, siue *Ferdinandis* (syllabæ diuersæ, res eadem, vt olim diximus) vel Doctrinâ, vel Sanctitate, vel vtrâque præstantibus, velut onerariæ classi exiguum lembum, alligare.

Illos ego S. Ferrandi Sanctitatis æmulos, Græcâ voce, atque imitatione *Parelia* vocito, quòd *Parelia* dixere Græcorum Philosophi, quædam ignea (vt ita dicam) specula, hoc est, nubes conuenienti densitate terminatas, in quas Sol radios suos eiaculatus imaginem sui, pictore ludentis naturæ ingenio, exprimit, imprimitque: quæ imago inde ad oculos reflexa nostros, in ipsâ nube Solem alterum nobis exhibet; seipsum quidem in orbe proprio, se verò alterum in nube; à quâ nube imago illa reciprocata, simul & reuerberata tum ad nostrum delabitur aspectum, tum sui nos mirabilitate defigit. Eapropter παρήλια sunt dicta, vel quòd παρ' ἥλιον, *iuxta solem* posita

ſita ſint, vel ad Solis ſimilitudinem accedant proximè. Quin mihi ſimiliter integrum ſit, Doctrinâ, & Sanctitate in paucis pollentes Ferrandos, ad exemplum Græcorum, *Sancti* FERRANDI *Parelia* vocitare; quippe qui tam *nomine*, quàm *Doctrinâ* nonnulli, omnes *vitæ ſanctiſſimè peractæ* gloriâ, beatum Cœlitem adeò indiſcretâ ſimilitudine retulerunt, vt toties geminatus fuiſſe Sanctus Ferrandus videri non immeritò poſſit. Horum ergo de multis nonnullos hîc iuuat pio Lectori repræſentare.

Primas dabo *S. Ferrando*, ſiue (vt ſe Franciſcanus vocari maluit) *Antonio*, *Patauino*, à commoratione diutinâ; ab ortu, ac gente, *Luſitano*: eam maximè ob cauſam, quòd à ſede Apoſtolicâ, ſolemni ritu, in Sanctorum numerum aſcriptus, *Ferrandi* nomen, ſecundum noſtrum *Diaconum*, & Archipræſulem Toletanum conſecrauerit quàm qui maximè. Is enim ſalutaribus Baptiſmi luſtratus aquis *Ferrandi*, ſiue (vt alii malunt eloqui) *Fernandi* ſeu *Ferdinandi* prænomine ornatus fuit, etſi poſtmodum (vt lateret magis) *Antonius*, à ſui natalis loco, piè, conſultóque dici voluit. Principiò ea præſtitit doctrinæ ſingularis excellentiâ, vt ſacræ lectioni nimiùm quantùm addictus, non ſolùm libros diuinarum paginarum memoriâ ſepiuerit, verùm etiam poſt deuoratas Philoſophorum & Theologorum elucubrationes, Theologicarum literarum vel primus (quod diſplicet Wadingo) vel certè inter primos, primùm apud noſtrates Monſpelij ludum aperuerit ex D. Franciſci præſcripto: ideóque de facili adducor, vt credam ipſum à Gregorio IX. Pontifice maximo, *Arcam teſtamenti*, & *ſcripturarum armarium* merito fuiſſe nuncupatum: Neque verò intra priuatos ſcholæ Theologicæ parietes eximiæ doctrinæ ſuæ fluenta coërcuit, ſed & inſuper ea cùm in tẽpla per frequentiſſimas conciones, tum in bibliothecas per eruditos abs ſe conditos libros (vnde illi ad ma-

Auct. vit. Ant. Padua, apud Sur. cap. 1. &c. VVading. tom. 1. Ann. Min. ad ann. 1220. n. 53. & ſeq. ann.

VVading. cit. ad ann. 1222. n. 33.

Id. ann. n. 32. n. 17.

num liber appingi solet) deriuauit cumulatissimè.

Verùm perparui duxit vir sanctissimus se Diui Ferrandi parelion, quâ nomine lectionis studio, quâ eruditione, doctisque lucubrationibus præstitisse, nisi reliqua ipsius decora, religioso ambitu, prehensata consequeretur. Itaque Clericatum, & Monachismum complexus, vtrobique eximiam doctrinam, iuxta D. Paulum *inflare* solitam, cùm singulari suiipsius demissione, mirabili omnino mixturâ coniunxit: Eius præcipuum semper studium, & conatus fuit assiduus, *vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth*, hoc est, hæreseon proseminatores, eorúmque asseclas, pro virili oppugnare; ídque tantâ contentione affecit, vt passim ab omnibus, *indefessus hæreticorum malleus*, diceretur. Illos porrò non tam argumentorum telis, quàm prodigiorum mirabilitate sæpenumerò detriumphauit, atque imprimis nescio quem *Guialdum* nomine, qui sacræ Eucharistiæ veritatem, cultúmque obstinatissimus negauerat, ad saniorem mentem muli silentio, & loquaci reuerentiâ tradit. Cùm enim mulus, triduanâ maceratus inediâ, tum lauto pabuli illicio pellectus, deinde eo penitùs repudiato, ad Antonium vocatus accurrisset, sanctiúsque corporis Christi, sub vili specierum tegmine latitantis epulum subodoratus, flexo in terram poplite, Creatorem adorasset suum, sapere à iumento suo insanus Dominus tandem didicit: prudentior & fortunatior haud dubiè Balaamo, quem asina docere non valuit, nisi vocalis. Quid referam numero penè infinita supra naturæ vires ab ipso edita miracula, quorum ipse maximum fuit? Omnia dixero, cùm ipsum verum sancti *Ferrandi parelion*, hoc est, *Doctum, Sanctum*, & *Thaumaturgum* nuncuparo. Ita me sentire à puero nostrũ perdocuit Anicium, vbi ille Cœnobiarcha factus, se *Doctum*, in mirifico ardore concionum; *Sanctum*, eximiarum virtutum exemplis; Denique *Thaumaturgum*, miraculorũ multitudine perquàm insigniter probauit.

Cant. 2. v. 15.

Idem ad ann. 1225. N. 14. 15. Sur. vit. S. Ant. cit. c. 17. &c.

Numer. c. 22. v. 30. & seq. Sur. cit. cap. 11. 26. 27.

Alterum,

Alterum, sed sub aliâ personâ, disparique fortunâ, Cœlitis nostri *parelion*, *Ferrandus*, seu *Ferdinandus*, primus Castellæ Rex animo se offert meo. Hunc equidem satis supérque pernoui nequaquam ab sede Apostolicâ in Diuorum ordinem fuisse adscitum: sua tamen pietas, simul & populi virtutem demirantis studium, Sanctorum albo ipsum transcripsit. Authorem habeo accuratum è Societate nostrâ historicum, Marianam, cuius hæc verba sunt: *Sanè Ferdinandus dum vixit, insigni pietate fuit, quo merito Legione, anniuersariis sacris eius memoria celebratur, & in Cælitum numero locum habet:* Illud verò de facili res à Rege Ferrando sanctè, toto vitæ curriculo, patratæ persuadent, quas, quia nouere perpauci, paulò fusiùs, Marianâ, Nonio, Lucâ Tudensi, & Roderico Archiepiscopo Toletano Daduchis, prosequemur.

Hic Rex Fernandus (Roderici verbis loquor) *vir bonus & iustus, ac timens Deum, & strenuus in agendis*, &c. *Filios fecit instrui liberalibus disciplinis; adultos verò militaribus studiis assuetos, incursiones, & prælia indidit frequentare: filias autem in deuotione erudiri præcepit, & studiis fæminarum.* Fratrem Garsiam infestis se impetentem armis, pacem per legatos humiliter offensus licet, orauit, nec exorauit. Non tulit Deus, pacis, belli arbiter, hanc iniustam fratris ingratissimi repulsam, sed eius luctuosâ nece iustissimus vindicauit. *Cunque Rex Fernandus, fratre occiso, & fugato exercitu, de victoriâ lætaretur, pietatis non immemor præcepit suis, ne fugientes læderent Christianos: tamen Sarraceni, qui aderant, pro maiori parte, captiuitate, & gladio perierunt. Tum Rex Fernandus præcipit corpus Regis Garsiæ honorificè Anagarum deportari, & in monasterio S. Mariæ, quod ipse construxerat, & donariis plurimis adornauerat, sepeliri.* Æquitatem ipsius alibi copiosiùs prosequi habeo, eius tamen locupletissimos testes hîc produco, sacra rescripta, quibus *constituit, vt in toto regno Legionensi leges Gothicæ seruarentur.* Sileo pia, quæ aduersus Mauro-

Roder. cit. cap. 10. Mariam. 14. Luc. Tud. cit.

nos infr. in not. in elog. sepulor.

Roder. cap. 13.

rum fœcem prudenter frequentissima bella suscepit, fortiter gessit, fœliciter confecit, quòd alio loco inferiùs se dabit occasio de illis disserendi. At tacere nequeo gratissimum tanti Principis animum erga Deum, Diuósque subadiuuas, & in victoriis reportatis æquè ac in præliis duces. *Rex enim Ferrandus*, inquit Roderycus, *pro triumpho gratias agens, Ecclesiam Beati Iacobi visitauit, & oblatis donariis ad propria est reuersus, & cœpit bonis actibus abundare, & toto vitæ suæ tempore ab infestationibus Arabum non cessauit.* Neque hanc Apostolo sacram ædem duntaxat votiuis ornauit muneribus sed quamplurimas alias basilicas, monasteria, ac religiosos cœtus, quos mirificè coluit semper, & in paucis *cathedralem Ecclesiam Legionis possessionibus, & donariis* (vt voce Roderici vtar (*inclytauit.* In eo cùm Rex vidisset templi ministros, ob rei familiaris angustias, nudis pedibus incedere (*tam rude sæculum*, inquit noster Mariana, & *tanta rerum necessariarum inopia inter Hispanos erat*) annuos reditus ad comparandos ministris calceos, regiâ munificentiâ designauit: nec non mille aureos Cluniacensi monasterio in annos singulos ex regiis vectigalibus pendi mandauit. Vix dicam quâ charitate, quóve salutis alienæ studio Rex pientissimus *Casildam*, Almenonis Toletani Regis filiam tam animi, quàm corporis salutis recuperandæ auidam exceperit. Illa est *Casilda*, ô nomen cedro dignum : illa inquam, est Casilda, quæ *cùm esset à tenerâ ætate, ingenio facili* (vti memorat Mariana) *& ad humanitatem propenso, in domo paternâ Christianos, qui magno numero captiui tenebantur, vitámque in luctu, & squalore calamitosam agebant, cibo, & rebus omnibus recreare solita erat clam patre. Quem memorant, re indicata, filiæ latebras, aditúsque omnes diligenter obseruasse: deprehensamque aliquando, cibos, quos in sinu ad captiuos ferebat, repente in flores, rosásque mutatos, patri ecquid ferret cum magno animi motu roganti, veste explicata monstrasse. Quo illa miraculo percita, monitáque diuinitus,* &c. *Ad nostra sacra*

Nos in cit. notis.

Roder. cap. 11. & Mar. cap. 2. Luc. Tudẽs. loc. cit.

Roder. cap. 14. Mar. cap. 6.

Marian. cit. cap. 3.

ſacra adiecit animum. Quid multa? A patre tandem ad Ferrandum Regem, cum quo ille rem totam communicarat, morbi curandi cauſa, miſſa eſt. Exceptam cogita quàm magnificè à piiſſimo Rege: *morbo depulſo, aquis ſalutaribus ritu Chriſtiano expiata, Diuini memor beneficij, immemor patriæ, in rupis faſtigio domunculâ exædificata, ſanctiſſimam vitam exegit, multis miraculis illuſtrem.* Hic Regis Ferrandi hoſpitalis charitatis extitit fructus.

Loquantur alii eximiam eiuſdem pietatem, & ardens ſtudium in conquirendis, recuperandis, transferendis, regificéque ornandis, colendiſque Sanctorum lipſanis. Deprædicet, qui volet copioſiùs, piam ipſius aſſiduitatem, quâ ætate prouectus quà nocturnis, quà diurnis horis Canonicis multus intereſſe ſolitus erat, vſque eò, vt non modò cum ſacerdotibus diuinas laudes publicè caneret, verùm etiam interdum vices Cantoris expleret. Malo extremam vitæ religioſiſſimi Principis cataſtrophen denarrare, non meis, ſed Marianæ noſtri conceptiſſimis verbis. *Ad Valentiam quidem Iſidori, quem per totam vitam coluerat, & cuius per quietem formam videre ſibi viſus fuit, oraculo monitum tradunt diem obitus ipſi inſtare: proinde expiandæ animæ, Superos propitiandi, ad quos breui diſceſſurus erat, diligentem curam gereret. Oraculi veritatem morbus, qui continuò Regem inuaſit, manifeſtò declarauit.* Lecticâ militari primariis quibúſque viris certatim ſuccollantibus legionem delatus inuehitur, *vbi de more ſacra corpora Sanctorum veneratus, & fælicem vitæ exitum precatus, lachrymis toto ore manantibus, & corpore ad terram proſtrato: tametſi ægritudo ingraueſcere videbatur, ipſâ nocte, quâ Chriſti Dei inter homines nati memoria recurrit, nocturnis precibus interfuit; ſequenti die re diuina procuratâ, corporis, & ſanguinis Domini perceptione, expiatus eſt. Die altero ad D. Iſidori delatus magnis vocibus, vt omnes exaudirent, ad Deum conuerſus coram Iſidori ſepulchro. Tua eſt, inquit, potentia, tuum eſt regnum*

Roder. cit. cap. 13. Mar. 3. cap. 3. Luc. Tud. ibid.

Marian. cit. cap. 6. Roder. cit. cap. cit.

Roder. cit. cap. 14. Marian. cap. cit. Luc. Tudenſ. in Chron. cit.

Domine, tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia sunt subiecta: quod te largiente accepi regnum, tibi restituo; tuam tantùm clementiam imploro, vt animam meam in æternâ luce iubeas collocari. Hæc dixit: positóque diademate, & insignibus regiis, trabeáque detractâ, quibus exornatus venerat, ab Episcopis, qui magno numero aderant, pœnitentiæ, & sacræ vnctionis remediis, ex ritu Christiano procuratus, indutus cilicio, conspersus cinere, die tertio, qui Ioannis Euangelistæ memoriâ sacer est, horâ sextâ extremum spiritum reddidit, & iuxta patrem suum in eodem templo tumulatus est. Hactenus Mariana: iam, quod reliquum est, de te libenter audiam, num tantus, tamque singulari vitæ, mortisque sanctimonia Rex, verum *S. Ferrandi nostri parelion* videri possit, ac debeat?

Marian. lib. 13. de reb. Hisp. cap. 8. Duard. lib. de genealog. Reg. Lusitan. in Alph. 1.

Gomer. lib. 1. de reb. gest. Fr. Ximen.

Marian. cit. lib. cap. 1.

Tertium contemplemur, *Ferrandum* videlicet, seu *Ferdinandum* tertium, cognomine, & reipsâ *Sanctum*, de quo præter alios sic noster Mariana: *Vir omnibus animæ, & corporibus dotibus, morum probitate tantâ, vt Sancti nomen tulerit; non magis populi fauore factum, quàm vitæ meritis datum. Fortior, sanctior, an fælicior esset, multi dubitauere. Implacabilis sibi, exorabilis aliis, in omnibus vitæ partibus moderatus, omnes probi, & iusti viri partes expleuit.* Amplissima sine dubio & perillustris commendatio, cui præclara rerum ab ipso piè, sanctéque gestarum monumenta de facili faciunt fidem. Principio *Berengaria mater de filio sollicita, ne præposteris voluptatibus integram ætatem corrumperet, tametsi nihil eo sanctius omnium opinione erat, eius coniugij conciliatrix extitit,*&c. *Rex celebritate peractâ, lustrandique regni studio, nouam nuptam per præcipuas Legionis, & Castellæ vrbes circumduxit, iura populis dare solitus, tenuioresque à potentiorum iniuriâ defendere, facilis aditu, præcipua morum suauitate; omnium querelis patebant aures; nullius inopia, aut solitudo non modò publico tribunali, accessuque communi, sed ne à regio quidem conclaui arcebatur. Intelligebat nimirum Regum officium esse, scilicet consulere subditis, tueri innocentiam, dare salutem, conserua-*

re,

re & bonis omnibus amplificare rempublicam: cùm ſit non eius modò, qui hominibus imperat, ſed eius etiam, qui pecudibus præeſt, eorum, quibus præſit, commodum, vtilitatemque captare. Eo actionum tenore æquè Legionenſium, & Caſtellanorum gratiam, benevolentiamque promereri non deſiſtebat, &c. *Nouæ ſcholæ fundamenta Salmanticæ poſuerat, exigua, & inchoata,* quæ *pro eo ſtudio, quo literas complectebatur, cura eius & liberalitate vſque eò aucta ſunt, vt maiora virtuti præmia, neque artium profeſſoribus ſtipendia vberiora propoſita ſint.* Verùm Marianâ copioſiùs, ſimul & breuiùs, at multò incultiori ſtylo Lucas Tudenſis Ferrandi Regis à puero virtutum decora, naturæque ornamenta complexus eſt in hunc modum: *Hic autem Rex Fernandus grauiſsimâ adoleſcentia venuſtatus, non vt illa ætas aſſolet, laſciuiam amplexatus eſt mundi, ſed pius, prudens, humilis, catholicus, & benignus, ſenilibus ſe moribus decorauit. Etenim ita obediebat prudentiſsimæ Berengariæ Reginæ, matri ſuæ, quamuis regni eſſet culmine ſublimatus, ac ſi eſſet puer humillimus ſub ferulâ magiſtrali. Habebat ſecum prudentiſsimos Catholicos viros, quibus tam ipſe, quàm mater totum ſuum conſilium committebant. In tantum regnum ſibi ſubditum ſuccenſus igne Catholicæ veritatis ſtrenue rexit, vt inimicos fidei Chriſtianæ totis viribus perſequeretur, & quoſcumque reperiebat hæreticos flammis exureret, & ipſe vice famulorum ignem, & ligna in eis comburendis miniſtrabat. Aderat illi in humilitate iuſta ſeueritas, quâ reprobos puniebat, & in ſeueritate iuſtâ miſericors, & clemens humilitas, quâ proſtratis inimicis placebat. Eius animus regalis auaritiâ nunquam potuit inflammari, ſiquidem viſum eſt, quòd requieuerit ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, qui fuit in Aldefonſo Rege Caſtellæ, auo ſuo; & ſpiritus fortitudinis, qui erat in Aldefonſo Rege Legionenſi, patre ipſius. Quid plura? Quod de nullo Regum præcedentium legitur, omnino irreprehenſibilis fuit, quantum nobis ſcire datum eſt, & thorum coniugalem vnquam minimè violauit,* &c. *Omnibus etiam Eccleſijs ita omnia ſua iura ſeruauit, vt nullus eſſet qui auderet eas vel in aliquo moleſtare. In tanta pace regnum ſibi*

Luc. Tudenſ. Chrō. ad æram 1255.

sibi subditum rexit, vt maiores, vel minores in aliorum res insurgere non auderent. Longior essem, si piissimi huiusce Regis Ferrandi ardentissimum in fide Orthodoxâ tuenda, propagandáque, quà ferro, quà flammis, quà verbis, quà exemplo, studium; si Cœnobiorum, & basilicarum ab eodem reditibus annuis locupletatarum, multo auro, argento, gemmis, sericisque ornamentis cumulatissimè decoratarum multitudinem, si iustitiæ, pacis publicæ, religionis, atque doctrinæ promouendæ singularem contentionem stylo exequi vellem, quod iampridem historiæ Hispanæ conditores magnâ cum laude confecerunt. Duco tamen religioni aliqua iniusto silentio premere, quæ noster Mariana in eiusdem Ferrandi Regis & sanctitatis, & gloriæ testificationem illustrissima denarrat. *Tam grata*, inquit, *Ferdinandi Regis memoria fuit, vt iustum ex sua gente hominum numerum, centúmque funalia è cerâ candidâ homo Maurus* (is fuit Alhamar Granatæ rex, quem sibi Ferrandus, dum viueret, multis deuinxerat officiis, & suâ imprimis regiâ munificentiâ) *quotannis Hispalim* vbi ipse efflauerat animam, *mitteret*, vt darent *defuncto inferias anniuersarias.* Ad extremum eiusdem Ferrandi Regis cœlo donati ensem à Regibus Hispaniarum in bellis, siue in Victoriæ omen, siue in pignus deferri solitum testatur his verbis Mariana: *Gladius, quo Ferdinandus Rex Sanctus, clarum ijs locis nomen, in bellis vsus fuerat, cumque Ferdinandus princeps ominis causa, vti more erat susceptum, commodato detulerat, loco restitutus.* Sic ille ex his, aliisque id genus testimoniis, quæ super *Ferrandi* seu *Ferdinandi* huiusce nominis Tertii virtutibus, & sanctitate, populorumque Hispanorum conceptâ de ipsius beatitate piâ, & religiosâ æstimatione dicta sunt, conficere nemo non potest, quàm illustre fuerit nostri *Ferrandi*, Sanctissimi Præsulis *parelion*, Rex Ferrandus.

Marian. lib. 13. cap. 9.

Idem lib. 19. cap. 16

His autem tribus antè memoratis *Ferrandis*, vnum,

aut

aut alterum iuuat adiungere *Ferrandum*, quos sua in paucis vitæ sanctimonia, reipsâ potiùs, quàm nomenclatione *Sanctos*, nostríque *Diui Ferrandi parelia* fecit, sed minora, atque adeò superioribus obscuriora. Non enim omnibus pareliis eadem, & indiscretâ inest similitudo, eadémve perfectio: Rodericus ergo Toletanus agens de meditatâ expeditione Aldefonsi, Nobilis cognomine, Regis Castellæ aduersus Amiramomeninum Maurorum Regem, qui ob expugnatum Saluæterræ præsidium, Catholicis incredibili fastu insolenter insultabat, post memoratum editum ab eodem Rege edictum, quo per omnes regni sui prouincias iubebat, *Vt milites, & pedites*, inquit, *relictis vestium, & aurificij, & ornatus cuiuslibet, quæ ad rem non pertinent, armis vtilibus se munirent, & qui priùs in superfluis displicebant, nunc in necessariis, & vtilibus Altissimo complacerent*: continenter insistit scribere. *Omnes autem à minimo vsque ad maximum voluntati Regiæ paruerunt; ad hæc omnia dulcissimo Fernando filio, primogenito Nobilis Aldefonsi, competentem suæ modestiæ operam impendente, qui eodem tempore febre correptus finiuit vitam, antequam belli terminus aduenisset. In cuius morte fletus patriæ, luctus inconsolabilis genitori, quia in ipsum, tanquam in vitæ speculum contemplabatur. Erat enim expectatio populorum. Sic enim eum Dominus honestauerat, vt etiam ab omnibus amaretur, & quod ætas in adolescentibus non permittit, iam in ipso gratia dispensabat. Obiit ergo*, &c. *vacuus dierum, plenus gratiâ, & virtute.* Hactenus ille de Ferrandi Principis sanctitate.

Roder. Tolet. lib. 7. rer. Hisp. cap. 36.

Alterum Lusitaniæ Principem *Ferrandum*, siue *Fernandum*, pari virtute iuuenem ipsi comitem adiũgo: *Fernandum*, inquam, *Magistrum militiæ Auisiensis, Cisterciensis Ordinis* (verba exscribo Duardi Nonij) *virum mirâ probitate, & vitæ sanctimoniâ. Obses hic datur Saracenorum Duci Salæ Aben Salæ, donec Septensis ciuitas ei traderetur, iuxta pacta inita in funestâ illâ expeditione Tingensi. Mortuo autem Rege Eduardo fratre, qui redemptionem eius contra Procerum*

Duard. Nonn. lib. de vera Reg. Portu. genealog. pag. 1265.

vota procurabat, *&* *testamento cauit*; *In captiuitate mansit sexennium*, *in quâ vitam morte commutauit*, *tantas perpessus ærumnas*, *&* *tanto pietatis Christianæ exemplo*, *vt meritò videatur inter Martyres referendus.* Imò Fr. Iosephus Teixeira eundem *inculpatæ probitatis virum* nuncupat, *cui ob vitæ sanctimoniam*, *in Beatorum classe sedes instituta est*, quod vltimum Nonnius pernegat, etsi piè credendum velit, eum *frui Beatorum fælicitate.* Eâdem in sententiâ, & fide totus Ordo Cisterciensis versatur, in cuius Menologio hæc verba legere est: *In Africâ passio Beati Ferdinandi Principis Lusitaniæ*, *Ordinis Cisterciensis de Auis religiosi*, *&* *Magistri Generalis*, *egregiis virtutibus illustris*, *qui post varios labores Martyr in carcere obiit*, *&* *post mortem signis admirandis enituit.* quæ signa Vasconselius, è Societate nostrâ cultus, & accuratus Historicus, cùm solutâ, tum numeris adstrictâ oratione prosecutus, publici iuris fecit. Piget hîc illa nequicquam exscribere, quòd in omnium oculis, manibúsque versentur. Cœterùm credas visam esse Africam velle, par pari sibi ab Hispaniâ referri, & alterum *Sanctum Ferrandum*, sibi saltem mortuum ab eâ reddi, cui suum libens concesserat viuum.

Teixer. libell. de Reg. Lusit. orig. in Ioan. I. *Duard. in Teix. censur. 51.* *Menolog. Cisterc. die 17. Iun.* *Vasconsel. in Ferdin. Princip.*

Fuistis, ô magnæ, ô regiæ, ô fœlices animæ (sit mihi fas vos antè paucis affari, quàm hunc libellum ad vmbilicum ducam) fuistis, inquam, fuistis olim Diui Ferrandi, clarissimi Ecclesiæ *Solis* vera *parelia*, puræque nubes, vtpote à rerum terrenarum contagione procul semotæ; in quibus, velut in nitidissimis speculis, Sol ille Africanus suarum virtutum, ac sanctitatis imaginem tam perfectè impressit, vt in vobis toties reciprocatus videri possit. Iam verò *parelia* esse desiistis: cœlo donatæ, *Soles* estis, occasum scituri nunquam. Agite amabo vos, *Diui Soles*, euerberate me, nubem crassam, grauem, luridam acutissimis charitatis vestræ radiis; imprimite, per generosum vestræ sanctimoniæ, pro virili mea, consectandæ studium, imaginem in me vestri,

vt ſaltem, veſtrûm omnium aliquod *parelion*, effectus *lucere* aliquando valeam *in perpetuas æternitates.* Sic me *Dan.c.12.* vtinam Deus, *Sancti Ferrandi*, Superíque omnes, *Fer-* *v.3.*
randum peccatorem, ac precatorem ament, adiuuent, ac cœlo donent, ſecundùm Deum, ac Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, cui ſit honor, & gloria in ſœcula ſœculorum. Amen.



NOTÆ

In Elogium S. Ferrando poſitum.



VAM vellem, vt elegãtiorem, & limatiorẽ laudum ſuarum præconem nactus fuiſſet S. Ferrãdus, cuius eruditionẽ toto Orbe Romano celeberrimam, indefeſſum in Orthodoxâ religione propugnandâ ſtudium, illuſtriſſimam in primo ordine Præſulis dignitatem, morum denique integerrimam ſanctimoniam retrò antè acta ſæcula ſuſpexerunt, deprædicabunt conſequentia, æternitas coronabit. Papæ! & tot; tantáque tanti viri merita tam incultum elogij ſui artificem, neſcio quo infelici fato habuerunt?

NOTA VNICA.

De Scriptore ipſo & ſcriptionis ratione.

QVid in hoc D. Ferrandi elogio priùs, magíſque mirer, haud ſatis ſcio: veteríſne illius æui inelegantiam, an piam ſimplicitatem? illam equidem mirari, ac dolere ſatis non poſſum; at nec iſtam non amare. Authorem huiuſce carminis ſolus edicat Oedipus; ſed ego Dauus, non Oedipus ſum: attamen illum crediderim nomen ſuum conſultò ſiluiſſe, vt plus animi, plúſque in præſtantiſſimum virum ſtudij, quàm in ſcri-

bendis versibus fœlicitatis, ne dicam facultatis, & elegantiæ habuisse videretur. Verùm vt se res habuerit, non vsque eò literarum imperitus fuisse censendus est huiusce tituli conditor, quin illum multâ eruditione resperserit, vt te, quas subiicio, notæ satis supérque poterunt edocere.

Nec te moueat primò versuum subrustica simplicitas: hanc enim ætas Vandalorum barbarie vitiata ferebat, vt muti etiamnum lapides, quamuis silerent libri, eloquuntur. Eapropter *saxeum* illud *carmen* (vt Sidonii Apollinaris lib. 2. Epist. 8. voce vtar) non solùm numeris crassum, ac rude sonantibus. astrictum est (nam illigari versibus hæ næniæ solebant, vt obseruauit Scaliger Poët. cap. 125. 126. résque per se ipsa loquitur) verùm etiam contra Literatorum leges, producit aliquando corripiendas syllabas, & verborum articulos, nexusque perparum pensi facit. Hoc autem mirum eò minùs videri debet scriptorem huius carminis, elogiive sepulchralis præstitisse, quò senescente vnà cum imperio Romano latinitate, magis pietati, piæque simplicitati, quàm expictæ verborum elegantiæ studuisse certiùs, apertiúsque videamus. Vnum instar omnium sit illud funebre carmen Syricio Papæ positum, quod Baronius ad ann. Christi 368. Annal. refert, in quo carmine Grammaticorum, & Poëtarum præceptiones fœdum in modum violatæ, atque pessundatæ leguntur. Sic autem se habet:

Liberium Lector, mox & Leuita secutus
Post Damasum clarus totos quos vixit in annos,
Fonte sacro magnus meruit sedere sacerdos
Cunctis vt populis pacem tunc solidam daret,
Hic pius, hic iustus felicia tempora fecit.
Defensor magnus multos vt nobiles ausus
Regi subtraheret, Ecclesia aula defendens
Misericors, largus, meruit per sæcula nomen.
Ter quinos populum qui rexit in annos amore,
Nunc requiem sentit cælestia regna potitus.

legendum iura *non aula.*

Quid

Quid hoc Elogio barbarius? quid contra versuum leges hac sepulchrali næniâ ineptius?

Neque te Secundò moueat, quòd huiusce carminis Scriptor de Episcopatu Carthaginis Spartariæ Diuo Ferrando nihil minùs cogitanti impacto dixerit nihil, quódve, de Montano, viro sanctissimo, qui ipsi successor fuit, eiusdemque olim *Ministro* agens, dubitanter loquutus sit, quasi res à Beato Ferrando gestas non satis bene perspectas habuisse videatur. Nam id accidisse crediderim, vel quia tam exiguo tempore Ferrandus noster Carthaginis Spartariæ cathedram Metropolita impleuerit, vt de illo facere mentionem Epitaphista (vox Sidonii est lib. 1. epist. 9.) visus sit neglexisse; vel quia (quod verosimilius est) illa Episcopatus Carthaginensis à S. Ferrando gesti omissio, atque silentium, Quadratorio, qui tabulæ sepulchrali carmen indidit, rei literariæ (vt fit) imperito deberet adscribi. Quin enim ipsi euenerit, quod Sidonius Apollinaris, sibi ne eueniret, sapienter admodum verebatur, cùm hæc Secundo scriberet. *Peto, vt tabulæ carmen hoc, qualecunque est, celeriter indatur, sed vide, vt vitium non faciat in marmore Lapidicida, quod factum siue ab industriâ, seu per incuriam mihi magis, quàm Quadratario liuidus scriptor adscribet.* Atque haud scio, an etiam Librariorum incuria perquam supina, vel præceps non parum ad tantam Elogii deformitatem contulerit; quod plerunque vsuuenire soleat, vt negligentia Librariorum ad Autorem nihil minùs merentem referatur, vti Aimoinus iure conqueritur. Quod verò conditor Elogii, de Montani ministerio quondam S. Ferrando præstito videatur dubitasse; non temerè suspicer hanc dubitandi voculam, *forsitan*, ad hiatum versus explendum à malo Poëtâ fuisse insertam.

Quandonam verò positum fuerit istiusmodi elogium piissimis Beati Ferrandi manibus, ingenuè fateor me ignorare: hoc tamen vnum suspicor non ad-

modum fortè alienum à veritate; illud carmen funebre aliquandiu poſtquàm Ferrandus noſter è vita diſceſſit, fuiſſe conditum, eiúſque inſcriptum monumento. Quid ita? quoniam de B. Montano, S. Ferrandi ſucceſſore iam vitâ functo (vt quidem verba Epitaphiſtæ præ ſe ferunt) maximâ cum viri commendatione fit mentio. Atqui iam olim apertè ſatis euicimus Diuum Montanum, non immediatè, ac proximè à Sancto Præſule Ferrando, ſed poſt Celſum pari eruditione, atque ſanctimoniâ ſpectabilem, Toletanam Sedem inſediſſe: conſequens igitur eſt, vt aliquandiu poſt, quàm vtriuſque anteceſſor Ferrandus ad Bonos, Superóſque abiiſſet, ſepulchralem ſuam næniam vir pius condiderit; quâ næniâ, ſiue elogio perquàm eximia S. Ferrandi facinora, pro SS. Triade, Chriſto, Deiparâ, Eccleſiâ, fidéque orthodoxâ fortiter, ac præclarè geſta, non tam ornare voluerit inconditis verſibus, quàm Catholicæ poſteritati teſtatiſſima, piâ ſtyli ſimplicitate, relinquere, ne tanti Doctoris, atque Pontificis memoria (vt ſunt rerum fugacium, & humanarum vices) inuidioſâ obliuione penitùs obtereretur. Atque hinc factum fuiſſe forſitan non temerè dixerim, vt elogij ſcriptor de S. Montano, Diui Ferrandi Miniſtro dubitanter meminerit. Hæc noſtra eſto coniectura, cui veriſimilitudinem facit maximam veteris æui conſuetudo, quâ Epiſcopis, ſiue facientibus ad altare, ſiue de ſuperiore loco ad Chriſtianam concionem dicentibus (vti olim retulimus) Diaconi, ſiue Miniſtri adſtabant, atque adeò perſæpe iiſdem demortuis Cleri, populíque ſuffragiis, volentes, nolentes ſufficiebantur. Priús elogij Ferrandini conditor, vt rem minoris momenti & ſplendoris, atque à ſua ætate ſemotam dubitanter aſſeruerit; poſterius vt rem maioris momenti, & ſplendoris, ſuæque ætati propiorem aſſeueranter affirmarit.

Vndecumque illi errores profecti ſint, eiuſcemodi

Beato

Beato Ferrando poſitum titulum, & hactenus obſcurum notis aliquot illuminare non pigebit.

NOTÆ

In primum Diſtichon Elogij.

I. Hector Aue.

ERgóne auere, ac ſaluere iubentur mortui? imo & valere, tametſi eos valetudo proſtrauerit. Huic dubitationi ſatiſfacit Varro *ideo*, inquit, *mortuis ſalue, & vale dici, non quod valere, aut ſalui eſſe poſſint; ſed quòd ab ijs recedimus nunquam viſuri.* Pluribus de hoc veteri ritu apud Ethnicos vſurpato *Seruius in lib.* 11. *Æneidos*, *& cæteri Interpretes Virgiliani*, *Briſſonius lib.* 7. *de formul.* ſalutem mortuis adſcriptam ex antiquis ſepulchrorum inſcriptionibus docet pag. 796. Apud Chriſtianos ea pariter conſuetudo inualuit. Ennodius lib. Carm. 9. *Varr. legiſtor.*

Salue ſancte Parens, ſemper ſaluete recepti,
Criſpini cineres.

Totidem verbis Maro, quem Ennodius legerat, Æneid. 5. Ratpertus S. Galli Monachus in laudem Natkeri, magiſtri ſui, apud Henricum Caniſium tom. 5. p. 2. lect. Antiquar. vers 14.

Aue beati germinis
Inuicte rex, & inclyte &c.

Atque (vt reliquas Orbis Chriſtiani nationes prætermittamus) in Hiſpaniâ Prudentius SS. Innocentes in hunc modum ſalutat.

Saluete flores Martyrum &c.

Quem imitatus Hartmannus apud citatum Caniſium vers. 2. eoſdem SS. Martyres in hæc verba ſalutat.

Saluete innocuo corpora fuſa neci

Quin ergo Elogii B. Ferrando poſiti ſcriptor, homo Hiſpa

Hiſpanus, Prudentium Hiſpanum potuerit æmulari? Has verò mortuorũ ſalutationes nihil aliud fuiſſe autumem, quàm luculenta de animorum immortalitate teſtimonia, quæ vbique gentium victrix veritas de Atheis extorſit. Cœterùm in Eccleſiâ peruetuſtam mortuos ſalutandi fuiſſe conſuetudinem tradit S. Dionyſius Areopagita τελέσας γὰρ αὐτὴν ὁ ἱεράρχης, αὐτός τε ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ ἑξῆς οἱ παρόντες ἅπαντες: *Cùm eam* (ſcilicet orationem) *abſoluit Antiſtes, & ipſe mortuum ſalutat, & ordine, qui adſunt omnes.* Cuius rei rationem ibidem habes, & apud Ioannem Fabrum, alióſque interpretes in hunc locum.

S. Dion. Areop. lib. de Eccl. Hier. c. vlt.

II. Sacer Antiſtes.

Liuianum ſtylum ſapit. Nam *Potitij*, inquit, lib. 1. Decad. *ab Euandro edocti, Antiſtites ſacri eius per multos annos fuerunt. Antiſtitem ſanctum* dixit Ouidius lib. 3. Triſt. eleg. vlt. ad diſcrimen Antiſtitum profanorum, vt equidem reor. Arriſit Scriptoribus Chriſtianis hæc vox, quippe qui viros Eccleſiaſticâ dignitate præfulgentes promiſcuè vocauerunt *Antiſtites*. Abbatem Abrahamum Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 17. *Antiſtitem* appellauit, quod in cœnobio S. Cyrici vrbis Auernæ *reliquos antiſtabat*: vnde *Antiſtes* dictus eſt, vt pluribus ibid. Sauaro annotauit. Eâdem ſignificatione eâdem de cauſâ Patres Græci religioſarum familiarum præſides, προεστῶτας vocitarunt: S. Baſilius imprimis in Regul. fuſè ac breuiter explicat. Epiſcopis tamen id nomen Latini Patres plerumque tribuerunt. S. Paulin. lib. 1. de miracul. S. Martini. Sidon. citat. Ennod. in vit. S. Epiphan. & hym. 6. de S. Ambroſ. & 11. de S. Mart. &c.

III. Ferrande.

A noſtro Hectore Fulgentio *Ferrando*, deinceps *Ferrandi* nomen tulere plurimi, infimæ, mediæ, ſummæque

que fortunæ viri, quorum longiorem instituere catalogum, ecquid necessitatis, aut operæ pretium est? omnes omnino nominauero, cùm dixero tot *Ferrandos* extitisse, quot *Fernandos*, aut *Ferdinandos*, Belgium, Sicilia, Italia, Hispaniæ, Galliæve procrearunt, videruntque. Leuis est in literis, syllabisve mutatio; res eadem, quemadmodum iam olim annotarunt, Aldrete lib. 2. de orig. linguæ Castell. Molin. lib. 1. de Nobil. Bætic. Sebast. de Cobarruuias in thesaur. ling. Castell. lit. f. verb. Fernando, & vt semel dicam, quotquot res Siculas, Belgicas, Italas, Hispanas, Gallicas sunt prosequuti, eosdem modò *Ferrandos*, modò *Fernandos*, *Fernandez*, & *Ferdinandos* nuncupare consueuerunt. De reliquo suspicari mihi in mentem venit ex Africâ in proximam Hispaniam primùm *Ferrandi* nomen, tum in reliquas Europæ prouincias pedetentim illatum, & à nostro Carthaginensi Diacono inuectum fuisse, cùm ad Episcopatum Carthaginis Spartariæ euectus fuit. His refragetur Marquezius superiùs olim à me laudatus, vtpote qui ex eo D. *Ferrandum* gente *Hispanum* fuisse putat se omnino euicisse, quòd *Ferrandus*, nomen Hispanum sit: quid ita? quoniam veteri illo æuo sine N. & cum gemino R R. apud Hispanos pronuntiabatur id nomen, vel vno Martino Polacco teste, qui cùm tempore Federici Imperatoris & Gregorii noni summi Pontificis floreret, *Fernandum* III. Castellæ Regem vocat *Ferrandum*. Id ipsum titulo sepulchrali, quo eius tumulus Hispali ornatus est. Maximè confirmatur, qui sic habet.

A qui yace el Rey muy honorado
D. Ferrando Señor de Castilla.

Perantiquæ autem Iberorum Orthographię testes producit vir eruditus Gonzalum Argote de Molina lib. 1. de Nobilit. Bætic. cap. 121. Bernard. Aldrete suprà à me citat. Paul. Æmil. lib. 7. rer. Fran. ad ann. 1271. Beuter. lib. 2. cap. 7. &c. Esculan. lib. 4. hist. Valentin.

cap. 2. num. 8. *O Samium Lucomonis acumen!* ſcilicet *Ferrandi* nomen duplici RR. ſcribendi mos, vſúſque ita inſitus, & proprius Hiſpanis fuit, vt neque ab Afris, neque ab vlla natione, quæ ſub cœlo eſt, potuerit vſurpari? Ego contrà pari, ne dicam potiori iure ſuſpicari, imò & affirmare poſſum, *Ferrandi* nomen, eiuſdémque cum gemino RR. ſcribendi rationem ex Africâ in Hiſpaniam, cum Diacono Carthaginenſi noſtro delatam commigraſſe, quoniam *Ferrandi* nomen (vt de Donato S. Auguſtinus epiſt. 165. dixit) Afrum *eſſe ſoleat.* Huc verò me animus ducit, vt de *Ferrandi* nomine cenſeam, ſiue quia ante Beati noſtri Diaconi ætatem *Ferrandum* apud Hiſpanos nuncupatum inuenias penitus neminem: ſiue quia non pauca cùm locorum, tum hominum nomina in Hiſpaniam ex Africâ fuiſſe olim inuecta norunt, vel qui ære lauantur.

Et verò vna Carthago Spartaria, cuius Epiſcopalem cathedram Diuus Ferrandus inſedit, ſatis ſupérque hoc loquitur: *Afri* enim *ſub Annibale maritima Hiſpaniæ occupantes Carthaginem Spartariam conſtruxerunt.* Iſidoro teſte lib. 15. Orig. & ante illum Plin. *Tarraco Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum*, qui de veteris ſuæ Carthaginis nomine (vt fieri à victoribus & fundatoribus aſſolet) ab ſe exædificatam ciuitatem appellitarunt. Quam coniecturam meam iure miretur nemo, qui meminerit, Plinio lib. 3. hiſt. nat. cap. 1. & Pompon. Mela lib. 2. cap. 6. auctoribus ad vtramque freti Gaditani oram Pœnos habitaſſe. Quod Horatium ſpectaſſe veriſimile videtur, cum lib. 2. Carm. ode 2. caneret:

Latius regnes, auidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus, iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Iam enimverò arduum erit credere citiùs *Ferrandi* nomen ad Hiſpanos ex Africâ Pœnorum ope inuectum, quàm ab Hiſpanis in Africam fuiſſe illatum? Ad ſummam

mam cui bono ille titulus ſepulchralis ad probandum noſtri *Ferrandi* nomen eſſe Hiſpanum ? illóne, vel poſteriore potiùs æuo, quo *Ferrandus* tertius Caſtellæ Rex vitam viuebat, vixerátve, Beatus Ferrandus fuit in viuis, vt coniecturæ locus aliquis eſſe poſſet Marquezio, illius nomen, & natale ſolum fuiſſe Hiſpanum citiùs, quàm Africanum? verùm aliquid viro pereruditо dandum eſt, quem ſuus in patriam amor in hanc ſuper Diui *Ferrandi* nomine, ac natalibus nouitiam, & minùs veritati hiſtoricæ conſentaneam ſententiam præcipitem egit. Maneat itaque fixum, ac ratum *Ferrandi* nomen ex Africâ (vt frequentem, ac mutuam Afros inter & Hiſpanos fuiſſe communicationem obſeruauit Biuarius ad Chronicon Dextri ann. 248. pag. 81. & 283. ad ann. 255.) ex Africâ, inquam, primùm in Hiſpaniam, tum ex Hiſpaniâ in cæteras Europæ regiones ſenſim ſe penetraſſe. Ab vno Flandriæ Comite *Ferrando*, quem ſua clades, & infamia Lutetiaca famoſiſſimum fecerũt, coniecturam trahe : de quo Britto fidelior Hiſtoricus, quàm bonus Poëta lib. 9. ſuæ Philippidos ſic cecinit.

Hic Ferrandus erat Hiſpanus gente, nepóſque
Nobilis illius Mathildis Portugalenſis, &c.

Vero enim ſimillimum eſt ab Africâ in proximam Luſitaniam nomen *Ferrandi* profectum fuiſſe : confirmari idipſum poteſt à nomine S. Antonii Paduani, quem conſtat & Luſitanum gente, & cognomine *Fernandum* ſiue *Ferrandum* extitiſſe. Auct. Vit. illius. *Ferrandum* Cepτenſem Epiſcopum lego vnà cùm Philippo Luxemburgico Cardinale, & Lud. Albienſi Epiſcopo ab Alexandro VI Pontifice delegatum in cauſâ diſſolutionis matrimonii Ludouici xij Francorum Regis, & B. Ioannæ. Frizon lib. 4. Gall. Purpur. p. 544.

Iam quid ſibi id nomen velit, inquiramus. Apud Noſtrates veteri æuo, *Ferrans*, *ferrum candens*, *vel rubigine exeſum* à maioribus vulgò ſignificaſſe memini, &

à coloris similitudine equos ab ardentiori colore ad ferrum igne, vel rubigine infectũ proximè accedentes, *Ferrans* fuisse vocitatos. Vnde mordax, & piperatus ille Parisiensium in *Ferrandum* Flandriæ Comitem, à Philippo Augusto Francorum Rege detriumphatum iocus, quem iocum Britto proximè laudatus in hunc modum expressit lib. 12. Pilipp.

At Ferrandus *equis subnectus forte duobus*
Lecticâ, duplici temone vehentibus ipsum,
Nomine quos illi color æquiparabat, vt esset
Nomen idem Comitis, & equorum; Parisiacis
Ciuibus offertur Lupra claudendus in arce.

luparæ *melius legas.*

Vitus Marchtalerus in epist dedicatoriâ ad Ferdinandum 1. Imperatorem, quam suo de Regibus Persarum tractatui præfixit, docet *Ferdinandum*, siue *Ferrandum* (eodem enim recidere diximus) idiomate Germanico idem esse, atque *Fern ernant*, hoc est; *procul nominatum*, siue *nomine celebrem* virum significare. Quod quàm appositè, atque feliciter *Ferrando* nostro conueniat, nemo non videt.

Cœterùm in gratiam pereruditi, & antiquitatis nummariæ studiosi Lectoris, hîc opportunè inserendum duco perexiguum ex ære numisma, *Ferrandi* Regis imagine insignitum, inscriptum nomine, tesserario ænigmate spectandum, lemmate literatum, quo me, pro suâ humanitate R. P. Petr. Franc. Chiffletius, è Societate nostra Theologus, simul & Antiquarius non postremus, recens donauit post paulò, quàm S. Ferrandi opera doctis abs se illustrata notis (quod ego iampridem agitabam animo) in lucem edere occupauit, quò tanto, tamque claro nomini aliquid insuper lucis possem affundere.

Vides





Vides ergò in altera numiſmatis facie, Regis effigiem, vultu præpingui, promiſſâ mediocriter cæſarie, mento, ac genis ad cutem abraſis, capitéque radiatâ coronâ redimito, ad cuius occiput Romanis characteribus expreſſum eſt nomen. FERRANDVS REX. Auerſâ eiuſdem nummi fronte, equum cernere eſt ſuo penitus inſtructu nudum, ſublato anteriorum pedum altero incedentis in modum: cui tum roſæ quàm ſimillimus ſuperimminet floſculus, tum Aquila paſſis alis anteuolitans videtur applaudere. Superiorem numiſmatis marginem hæ intercurrunt, implentque voculæ. *Equitas Regni*: Inferiorem verò ſolitarium T. gemino hinc inde floſculo cinctum, occupat.

Agedum iam nunc ecquem ex omnibus Hiſpaniarum Monarchis *Ferrandum* (ſiue, vt recentiores amant eloqui *Ferdinandum*, *Fernandúmve*) hunc Regem eſſe dixeris? Vt *Ferrandum* Legionis, & Caſtellæ primum Regem, quem eximius gentis in amorem, ne dicam in aſſentationem (vt fit) effuſæ ſtudium aut palpus, *Magni*, & *Imperatoris* cognomine donauit, hoc nummo expreſſum fuiſſe ſuſpicer, vel credam, faciunt argumenta non leuia, quæ faciei auerſæ ſymbola ſubminiſtrant mihi ea diligentiùs, enucleatiùs, & moroſiùs expendenti. Illa verò ſunt huiuſmodi.

Marian. lib. 9. rer. Hiſp. cap. 2. Roder. infr. citand

Principiò *Æquitatem* (rectiùs, quàm *Equitas*, pro

æui illius, vel artificis inſcitiâ) æquitatem, inquam, inſcribi voluit Rex Magnus, eam ſcilicet repræſentans, quâ primùm Legionis, deinde Caſtellæ regna duplici adiuit iure, illud patrio, hoc vxorio: eam, quâ fratris ſui, ſi tamen fratris (Garſiam loquor) clandeſtinas machinationes prudentiâ eluſit; apertas, pari fœlicitate, ac fortitudine iuſtiſſimis vltus eſt armis. Eam, quâ non publicas ſolùm, verùm etiam priuatas iniurias, facinoroſorum cruore expiauit: eam, quâ pace domi partâ, atque reipublicæ ſtatu gnauiter, firmitérque fundato, pium bellum, & victricia in Mauros, intolerabili tyrannide, Chriſtianam gentem opprimentes arma conuertit, fudit, fugauit, & ad vltimum domitis eorumdem Regibus annuum imperauit vectigal, legéſque accipere, qui antè dederant, vel inuitos coëgit. *Marian. cit.* Ad vltimum Rodericus Toletanus eundem *Iuſti* titulo exornauit.

Quid autem *equus*, & *aquila* ſibi volunt? Imperij potentiam, bella frequentiſſima, ſimul & victricem exhibent celeritatem, quâ Rex Ferrandus tot iuſta, tot religioſa, totque plena aleæ certamina, toto Hiſpaniarum tractu prudenter ſuſcepit, confecit fortiter, affecit glorioſè. Cùm enim equus currendi, Aquila volandi pernicitate, atque impetu valeant quâm maximè, nemo non videt duobus hiſce animantibus præproperam in agendo celeritatem tam apud ſacros, quàm profanos Scriptores egregiè ſignificari. Appoſitiſſimè ad inſtitutum noſtrum Ieremias cap. 4. v. 13. inquit: *Velociores Aquilis equi illius*, Conſule in hunc locum Diuinorum Codicum interpretes, ſi plura voles. Quæ autem hinc manarunt adagia non minùs ſacra, quàm profana, Del-rio, Sanchez, &c. è Noſtris, ex aliis Manutius, Eraſmus, Iunius, Druſius, cœteríque adagiographi copioſè docuerunt hæc ſymbolicè: hiſtoricè verò, ni me mea fallit opinio, Equo, & Aquilâ alluſum reor, ad eaſdem victorias, quas de cœlo Rex Ferrandus,

Conſule Pier. lib. 4. & 19. Hierogl.

Roder. Tolet. lib. cit. cap. 11.

Ferrandus,, auxiliatore D. Iacobo, ſummâ celeritate, retulit plurimas. Rem Marianæ noſtri ſtylo denarratam ſic accipe. *Dum Conimbricæ obſidio ducitur, Graculus quidam* (*Epiſcopum nomine Hoſtianum* vocitat Roderic. Sanctius 3. part. hiſt. Hiſpan. cap. 20.) *Compoſtellæ, quò religionis causâ venerat, cùm frequenti multorum ſermone audiſſet affirmari, Iacobum ſæpe equo inſignem, & armis in præliorum conflictu viſum inter vtrasque acies imminere, noſtriſque opitulari: Iacobus, inquit ille, non miles fuit, ſed piſcator. Proximâ nocte, cùm ſe quieti dediſſet, oblata Apoſtoli ſpecies eſt, noſtris ad Conimbricam opitulantis, fides ſomnio habita: cùm eâdem horâ vrbem eſſe captam, poſt dies aliquot eſt renunciatum.* Hactenus Mariana, his addit Rodericus proximè laudatus, D. Iacobum equitem Hoſtiano apparuiſſe, eique claues oſtendiſſe, & oſtentaſſe, quibus portas Conimbricenſes ſe aperturum, ſimul & Chriſtianos in obſeſſæ ciuitatis poſſeſſionem miſſurum recipiebat.

Tau vero, quod ad inferiorem numiſmatis marginem inſcriptum fuit, hoſtilem Regis Ferrandi *Toletum* vſque excurrentis (quæ mea ſuſpicio eſt) exhibet irruptionem, quam in hunc modum memorat Mariana: *Belli impetum in Carpetanos conuertere certus, agrúmque Toletanum, vnde grauia incommoda rei Chriſtianæ à Mauris inferebantur,* &c. *quibus profectùs rebus in Toletanæ vrbis fines irrumpit, tranſcenſis iȷs montibus, qui vtriusque nationis ditionem finiebant* & iterum poſt pauca inſiſtit dicere. *Præſenti calamitate, & maioris mali metu Almenon Toleti Rex prouocatus, magno auri, atque argenti pondere pacem redimere compulſus eſt.* Non tamen reſponſo, quin T. illud, crucis Dominicæ ſymbolum, & figura, (vti eruditiſſimè Gretſerus noſter, Boſius, Lipſius, aliíque ſunt proſequuti) quin, inquam, T. illud ſignificet, piiſſimum Imperatorem *in hoc ſigno viciſſe* (quod Conſtantino Magno de cœlo prænuntiatum ferunt) hoc eſt, triumphali crucis virtute, atque præſidio potiùs, quàm

numeroſo,

numeroſo, ac fortiſſimo milite, tam illuſtres de hoſtibus nominis Chriſtiani victorias reportaſſe Ferrandum.

Quid floſculos referam, cùm ſeipſis loquantur ſatis quid ſymbolicè repræſentent? In moribus enim tam veteris, quàm huius æui, receptum fuiſſe nemo vnus ignorat, triumphantes, atque in paucis Principes viros, à populis gratulabundis denſo floſculorum imbre perplui conſueuiſſe. Vide Tiraquellum in Alex. genial. lib. 7. cap. 6. Quin verò hic nummus ad Ferdinandum, ſeu Ferrandum III. attinere, ac de illo explicari commodè poſſit; non abnuo, ſimúlque pererudito Lectori, ne ſim longior, volens, ſcienſque curioſius expendendum relinquo.

IV. Beate

Omnino, ac iure merito Beatus, vir ſanctiſſimus, idque multiplici nomine. I. quia miſer in terris viuere deſierat, & 2. quia fœlicior in cœlis cœperat viuere. Græcis quidem ad δυσφημίαν, mortui olim μακαρῖται, *fœlices* dicti ſunt, quòd huiuſce mortalis vitæ laboribus, ærumniſque defuncti eſſent. Syneſius ep. 20. ad Diogenē Theodorum μακαρίτην vocat & epiſt. 18. haud aliter Latinis mortuos vocare *fœlices* placuit. Horat. lib. 1. ſat. 9.

Omnes compoſui fœlices, nunc ego reſto.

Verùm, an mortui *Beati*, & *fœlices* merito dici poſſint, necne? inquirit eruditè ſuo more, Philoſophiæ Genius Ariſtoteles lib. 1. Eth. cap. 11. vbi aſſerit Soloni nunquam veniſſe in mentem dicere mortuos ſimpliciter *Beatos* eſſe: ἀλλ' ὅτι τηνικαῦτα ἄν τις ἀσφαλῶς, μακαριστὸν ἄνθρωπον, ὡς ἐκτὸς ἤδη τῶν κακῶν ὄντα, καὶ δυστυχημάτων: *ſed tum denique aliquem tutò beatum dici poſſe, cùm ab omnibus malis, & infortuniis abeſt longiſsimè.* Rectè quidem ille, ſi res ad naturæ lancem expendatur: at ſi naturæ fines egreſſi altiùs feramus animum, & cogitationem, atque beatam illam, & Ariſtoteli, & Soloni, Ethniciſque incognitam vitam, quam homines cœlo

donati

donati cum Angelis viuunt, vitam ſpectare placeat, quidni mortuos non *Beatos*, ſeu *fœlices* modò, ſed etiam *Beatiſsimos*, ac *fœliciſsimos* appellitemus?

Agedum verò (vt etiam mortuorum beatitatem ad ſolas Ariſtotelis regulas exigamus) agedum inquam, quid ad perfectam beatitatem eorum, qui vitâ ex virtute actâ, in Domino mortui, ac cœlo adſcripti inter Cœlites degunt, Ariſtoteles deſideret? velitne, ἐνέργειάν τινα τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι: *fœlicitatem, operationem quandam eſſe*? At Cœlites nunquam ab intuitiuâ diuinæ eſſentiæ, ac perfectionum ipſius contemplatione (vt docent & loquuntur Theologi) nunquam ab arctiſſimo eiuſdem amore (quas operationes animi omnium facilè principes exiſtere Ariſtoteles ipſe admittit) vel minimo momento auelli poſſunt, poterúntve in omnem æternitatem. Velitne eum, qui ad multam ſenectutem beatè vixerit, & ſecundùm rationem mortuus fuerit, non tangi ſenſu, afficique animo ſuorum, quos reliquit ſuperſtites, commodis, infortuniiſque, quæ poſteris nimiùm multa accidere vſuuenit, & hoc nomine beatum eſſe? Cœlites nequaquam iis tanguntur ad dolorem, cuius expertes omninò ſunt; ſed ad liquidam voluptatem, quæ in ipſos duntaxat cadit, quod illa poſterorum incommoda, commodáve ex vnius Dei cuncta ſapientiſſimè moderantis, arbitrio pendeant, & ad nepotum vtilitatem (ſi iis bene vti velint) non mediocriter faciant. At de iis ſatis. Cæterùm eò ſpectaſſe arbitror Epitaphiſtam noſtrum, cùm Ferrandum vitâ functum, & melioris vitæ, ſortiſque commutatione, in Beatorum album relatum, *Beatum* nuncupauit.

V. Ibera vocat.

Alluſum vides ad illud D. Pauli ad Hebræos ſcribentis, cap. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Id autem peregregiè in D. Ferrando factitatum eſt, quando eum Hiſpania

primùm ad Carthaginis Spartariæ infulas, tùm ad Toletani Pontificatus apicem acciuit, nihil, vt opinor, cogitantem minus: *Admirabilis & amabilis est Ecclesiarum ludus, quotiens fraternâ charitate supplet altera defectum alterius, non pecuniarum ratiocinio, sed personarum commercio. Vna est columba Domini, inconsutilis est tunica eius, & in vno corpore partes ita sibi deseruientes consentiunt, vt quod est commune omnium, proprium æstiment singularum.* Ita ingeniosè, ac lepidè omnino Stephanus Episcopus Tornac. Epist. 175. Laudunensi Capitulo scribens pro Magistro Michaële, è Decano suo, in Parisiensem Episcopum electo; quod Capitulum ferre videbatur ægerrimè. Idem habet epist. 71. *Eodem religionis artificio* (vt eiusdem verbis eloqui pergam) *eodem spiritu charitatis, & studio prouidentiæ*, quo Ecclesia Carthaginensis sibi Ferrandum è Monasterio Diaconum olim assumpserat; mox alia Carthaginensis Ecclesia *festino pariter, ac festino saltu*, ab Africâ scilicet ad Hispaniam, *sibi præripuit eum*, quem fama eruditissimum, simul atque sanctissimum vulgò deprædicabat. Denique Carthagini Spartariæ ab Ecclesiâ Toletanâ ereptus est, *maximè ambiendus, quia minimè ambitiosus*. Non enim ex eorum numero vnus erat Ferrandus noster, quos S. Gregorius Papa lib.4. epist. 53. scribit, *ad Episcopatum præcipiti saltu conscendere, & qui discipulus non fuit, inconsideratâ ambitione magister efficitur; & quoniam quod possit docere non didicit, sacerdotium tantummodò gerit in nomine. Nam laicus in sermone pristino perseuerat, & opere*, &c. Verùm id perfectè obseruauit, quod idem beatissimus Pontifex monuit obseruandum lib. 7. epist. 110. *Ordinatè ad Ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta, quærit ascensum*. Et pòst pauca: *Quid hoc celeriùs quídve præcipitantiùs, quàm vt exoriatur à summitate principium, & antè incipiat esse Episcopus, quàm Minister?*

Olim enim non nisi rogati, vel etiam coacti, ac renitentes

nitentes Episcopi creabantur. Audi S. Clementem epist. ad Iacobum Domini fratrem : *Tantùm ab ambitu Episcopus debet esse sepositus, vt quaeratur cogendus, rogatus recedat, initiatus refugiat.* Et pòst pauca : *Profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* Quid ita ? Quia periculosè conscenditur ad Crucem. Acutè peræquè, ac sapienter Iuo Carnotensis epist. 17. *Quid est tibi Episcopatus, nisi cruciatus ? Quid aliud est hic honor, nisi onus? Quid est hæc sublimitas, nisi naufragosa tempestas ?* Idcircò mirum videri non debet, quod de se Beatus Synesius epist. 11. ad Sacerdotes datâ memorat : ἐγὼ δὲ πολλοὺς ἂν θανάτους ἀντὶ τοῦ δὲ τῆς λειτουργίας εἱλόμην, οὐ γὰρ κατ' ἐμαυτὸν εἶναι τὸ κόσμον ἐλογιζόμην τοῦ πράγματος. *Ego verò mille mortes huic muneri pontificio anteposuissem : scio enim me dignum non esse tanto munere*, & reliqua. Vide ipsummet Ferrandum de S. Fulgentio ad Episcopatum Ruspensem consecrato, vit. cap. 17. Palladium de S. Chrysostomo, S. Gregorium Nazianzenum de seipso orat. 25. Ennodium Ticinensem de S. Epiphanio Episcopo Ticin. in vit. ipsius. S. Cyprian. lib. 4. epist. 2. Sidonium Apollinarem lib. 4. epist. 24. de Maximo Palatino. Et ipse lib. 4. epist. 3. lib. 5. epist. 3. & alibi passim sibi reluctanti impactum fuisse sacerdotium queritur.

NOTÆ

In II. Distichon.

I. Annos te multos, &c.

HInc colliges, non sine causâ Iulianum Archipresbyterum Toletanum dixisse *Ferrandum in Sede Carthaginensi Archidiaconum* fuisse, vt in eius vit. cap. 5. retuli. Noster enim Gretserus in cap. 1. Codin. lib. 1. comm. 1. cap. 15. & secundùm ipsum noster pariter Bulengerus in Append. de Officio Eccles. Constanti-

nop. cap. de Archidiac. referunt ex Io. Citro, Archidiaconi officium non esse dignitatem ἄρχοντος, neque ambitu, & voluntate Imperatoris, aut Patriarchæ eligi, vt dignitates Archonticas (quas quis obtinet per literas, & codicillos, τῶν ἀρχόντων, *Principum*, siue ij essent, vel Imperatores, vel Patriarchæ) sed esse περιφορᾶς δὲ πόλλων ἡλίων συμπέρασμα, διὸ καὶ ὡς χρόνου, καὶ ἰδίου πόνου δώρημα, ὁ Ἀρχιδιάκονος ἔχει τὴν ὑπεροχὴν ἐπὶ πάντων τῶν διακόνων. *Acquiritur autem lapsu multorum annorum; ideò, & temporis, & proprij laboris donum, Archidiaconus habet prærogatiuam super omnes Diaconos.* Quem in Archidiaconis eligendis morem seruabat Ecclesia Constantinopolitana, eundem à Carthaginensi vsurpatum, & obseruatum in Ferrando ad Archidiaconatum electo manifestissimè constat. Verum quid illas duas tantùm Ecclesias memorem? Viguit, viguit aliis in locis, Ecclesiisque illa itidem consuetudo. S. Chrysostomus Antiochiæ ordinatus à Melitto Diaconus, quinque annos venerandis ministrauit Altaribus, Pallad. in vit. ipsius: S. Epiphanius in Diaconatu à vigesimo incipiens, octo annos expleuit, Ennod. in vit. Sidonius agens de Ioanne ad Cabillonensem Episcopatum è Diaconorum gradu euecto, ita lib. 4. epist. 15. loquitur: *Post laborum, temporúmque processu, Archidiaconus, in quo seu gradu, seu ministerio multùm retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolui.* In quem locum doctissimus Sauaro testatur: *Viros efficaces, ac strenuos, diutiùs in hoc Diaconi munere retentos fuisse, quia penès illos erat summa rerum ad Ecclesiam pertinentium*, vt de Sancto Laurentio cecinit Prudentius hymn. de ipso. & allusit S. Hieronymus epist. 85. ad Euagrium, scribens contra superbiam aliquorum Diaconorum, qui se Presbyteris, & Episcopis æquare impudenter audebant. Vide locum egregium, simul & pereruditum opusculum piissimi Doctoris, Dionysij Carthusiani de vita, & regimine Archidiaconorum.

II. Fruitur Carthago Miniſtro.

Ex his pauculis verbis quatuor obſeruanda reor 1. Ferrandum è Monachiſmo ad Clericatum adſcitum, adigente ad id Clericorũ penuriâ, & vigente tunc Arianorum perſecutione in Africâ, ſuperiùs enarraui. Donatiſtarum, pariter ibidem factione ſubigente, ob Clericorum & Diaconorum paucitatem, illud idem factitatum fuiſſe docent illa Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi ad ſynodum Carthagine congregatam verba, quibus Pontificem Romanum, ſimul & Mediolanenſem Epiſcopum monendos ait: ὅτι τοσαύτη ἐστὶ κληρικῶν ἐνδεία, καὶ πολλαὶ ἐκκλησίαι οὕτως ὑπάρχουσιν ἔρημοι, καὶ μηδένα διάκονον, καὶ ἀγράμματον ἔχειν εὑρίσκει. *Quòd tanta ſit Clericorum inopia, & multæ Eccleſiæ adeo deſertæ ſint, vt nullus poßit Diaconus etiam illiteratus inueniri.* Atque hinc eſt, quamobrem eadem Synodus Carthaginenſis can. 34. Clericis imperet, vt Epiſcopis morem gerant, cùm ſe ad maiores in Eccleſia honores promouendos voluerint, iuſſerintque ob vrgentes Eccleſiæ neceſſitates. Illis verò, qui ſe minùs obtemperantes præſtarent, Balſamon ait minimè non ſolùm ignoſcendum; ſed etiam κολάσεως ἀξίους, *animaduerſione dignos* eſſe: & ſi Diaconus fuerit, protinus deponendum. Idem pene decernitur in Concilio Ilerdenſi can. 3. vt refert Loaiſa in collect. in Concil. Hiſp. Ad hoc facit S. Auguſtini epiſtola 81. ad Monachos Caprariæ inſulæ. *Vos* inquit, *fratres exhortamur in Domino, vt propoſitum veſtrum cuſtodiatis & ad finem vſque perſeueretis ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſiderauerit, nec oblatione auidâ ſuſcipiatis, nec blandiente deſidiâ reſpuatis; ſed miti corde obtemperetis Deo, nec veſtrum otium neceßitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti, ſi nulli miniſtrare vellent, quomodo naſceremini?* Et reliqua perquàm eloquenter. Vide epiſt. inter opera S. Hieron. 60. ſuper ordinatione eiuſdem S. Doctoris. Obediit D. Ferrandus corde mitiſſimo, ad Diaconatum tùm vocatus ex vmbrâ.

II. Animaduerto eundem vni Ecclesiæ Carthaginensi fuisse addictum Iuxta Canonem sextum Concilii Chalcedonensis, vbi Balsamon subdit, *quemadmodum Antistites ad hanc vel illam Ecclesiam ordinantur; Clericos quoque ordinari ad hoc templum, vel ad hoc monasterium, non autem absolutè ordinari.* III. Obseruo *Ministrum* pro Diacono sumi, quod vox ipsa Diaconi satis apertè sonat, quia *non ad sacerdotium, sed ad ministerium Diaconus consecratur,* Vt loquitur Canon 4. Concil. 4. Carthag. quò spectabat illa Abibi Diaconi responsio, qui teste Metaph. 15. Nouembr. rogatus à præside Lysiniâ, qua esset conditione? respondit: *se esse Christi ministrum,* hoc est, Diaconum: vide S. Ignat. epist. 2. ad Trall. Diaconi munus eleganter explicantem. IV. subodoror Epitaphistam sub dubiis illis vocibus: *Carthago Ministro*: voluisse cùm Ferrandi Diaconatum Carthagine in Africâ, tum Episcopatum Carthagine Spartariâ in Hispaniâ gestum innuere, ac significare. Dixi (*sub vocibus dubiis*) *quòd* nomen *Ministri* pro vtroque gradu vsurpatum sciam. Testes sunt Conciliorum subscriptiones in quibus Episcopi se suarum *Ecclesiarum humiles ministros* passim subscribunt. E Patribus Iuo Carnotensis, Hildebertus, & alii complures eodem se titulo in Epistolarum fronte appellitant, & inscribunt. *Ecclesiæ ministrare*, pro, Episcopum agere dixit S. Augustin. ep. 148. Veruntamen obserues velim, *Ministrum*, cùm Diaconum significat, simpliciter, ac solitariè plerunque poni; cùm autem Episcopum, affigi aliquid: v. g. *Ecclesiæ* nomen, cui præest. Ennod. lib. 6. epist. 9. *Diu enim renisus sum, ne arrogans videretur, si Minister Antistitem, & apud sanctissimam conscientiam potissimùm vir mediocris assereret.*

III. Defensor Fidei.

Nobilissimum hunc titulum antè, & post beatum Ferrandum benè multi prætulerunt. S. quidem Augu-

ſtinus à Diuo Hilario epiſt. ad Amatum, vocatur *Doctor excellentiſſimus, & in fidei noſtræ defenſione aſſiduus*: expreſſiùs de eodem Caſſiodor.ait cap. 22. de diuin. lect. *Ipſe etiam Doctor eximiùs B. Auguſtinus, bellator hæreticorum, Defenſor fidelium, & famoſorum palma certaminum.* Sanctus autem Hilarius in epitaph.

Hilarius cubat hac Pictauus Epiſcopus vrnâ
Defenſor noſtræ terribilis fidei.

Confirmatur ex S. Auguſt. lib. 1. Contra Iulian. Pelag. cap. 3. & lib. 6. de Trinit. cap. 19. Eundem S. Hieronymus vocitat *Deucalionem Orbis*. dial. contra Lucifer. S. Olympius Epiſcopus Toletanus apud Iulianum Archipreſb. Chron. N. 161. *fuit ſcriptor nobilis, & acerrimus fidei defenſor.* Eodem referente, *coronatus eſt Toleti D. Imperator Adefonſus, Raimundi filius in æde B. Mariæ maiori Toletanæ. Dedit illi pomum aureum Petrus Gomeſius Barroſius, & alii alia ſigna Imperatoria. Coronauit, & vnxit D. Bernardus Patriarcha Hiſpaniarum cum Epiſcopis Metropolitanis, ipſo die Natalis Domini, præſentibus multis viris Palatinis, & Epiſcopis Metropolitanis, cum mitris, & pluuialibus, & Abbatibus omnibus acclamantibus: Viuat, viuat Imperator,* fidei Catholicæ defenſor, *& omnis perfidiæ vaſtator.* Sic ille num. 626.

Auguſtum hunc titulum, ſuperiori ſæculo, tulit Henricus VIII. Angliæ Rex, de fide Catholicâ tum temporis tam optimè, quàm deinceps demutatâ in peius mente, ac fide Orthodoxâ de eadem peſſimè omnino meritus. Quòd enim Lutheranam hæreſim adhuc in cunis vagientem manu, ac ſtylo regio conficere conatus eſſet, Leo X. Pontifex Max. *Defenſorem fidei*, teſte Sandero, proclamauit. Quam iuſtiùs (abſit verbo inuidia) meliúſque hæreſeon in Africâ, & orbe Chriſtiano per id tempus graſſantium acerrimus expugnator, Ferrandus noſter appelletur, *fidei defenſor, & vltor?*

NOTÆ

NOTÆ

In III. Distichon.

I. Hæreticis, nomenque tuum.

MAgni ſupra quàm dici poteſt, aduerſus aliquem odii eſt, ſi vel eius nomen oderis, & auditum iniquo animo, & impatienti aure feras. Iſtiuſmodi fuiſſe Gentilium aduerſus Chriſti, & Chriſtianorum nomina odium, iam ſupra ex Tertulliano retuli, vit. Ferr. cap. 7. Eodem genio & furore Iulianus Apoſtata Imp. Chriſti, & Chriſtianorum nomina exoſus per ludibrium *Nazarenum*, & *Galilæum*, & *Galilæos* vocitare conſueuerat. De quo hæc D. Hieronymus epiſt 84. ad Magnum Oratorem Romanum *ſi contra hunc ſcribere tentauero, puto interdices mihi, ne rabidum canem, Philoſophorum, & Stoicorum doctrinis, id eſt, Herculis clauâ repercutiam: quanquam* Nazareum *noſtrum, & (vt ipſe ſolebat dicere)* Galilæum *ſtatim in prælio ſenſerit; & mercedem linguæ putidiſſimæ contumelijs perfoſſus acceperit.* Maximus paganus homo epiſt. ad S. Auguſtin. 43. inter huius opera. Mygdonem, Sanaem, Nymphanionem, & Lucitam. SS. Martyrum triumphalia nomina, pro ſuo in Chriſtianos odio, *Diis, hominibúsque odioſa nomina*, vocat, quem lepidè refutat ſequenti epiſt. 44. beatus Auguſtinus, *miror*, inquit, *quòd nominum abſurditate commoto non venerit in mentem habere tuos, & in ſacerdotibus Eucaddires, & in Numinibus Abaddires*, & reliqua, tum *Nymphanionem*, linguâ Punicâ, *boni pedis hominem* interpretatur. Haud aliter Africanæ hæreticorum factiones nomen B. *Ferrandi* execrabantur, quòd ab eo ſuarum hæreſeon hydras, & Chymæras viderent debellari, ac elidi. Hinc & illud.

II. Celebresque libelli exosi.

Commune ſemper etiam hoc fuit hæreticis omnibus in SS. Patrum ſcripta odium, & horror immortalis; etſi *quod ſi quis ea* (vt S. Athanaſii lib. 1. contra Idol. verba vſurpem latio donata) *ſtudioſè perleget, & ſcripturarum interpretationem, & eam, quam cupit, veritatis notionem conſequetur*; quam lucem talpæ hæretici quàm maximè deteſtantur. Quapropter idem B. Pontifex epiſt. ad Marcum papam de Arianis merito conqueritur, quòd non ſolùm veſtem, vaſa ſacra, & reliquam Eccleſiarum ſuppellectilem rapuiſſent, conflaſſent, ambuſſiſſent: ſed etiam omnes ſacros codices & ſeptuaginta Concilii Nicæni canones flammis per ſummam rabiem tradidiſſent. Quid mirùm ſi hæretici SS. Patrum elucubrationes exoſas habent? hæretici *Sydera ſunt errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt*, vt ait S. Iudas, ep. 5. 13.) *in æternum*: an ipſis Soles deliciæ eſſe poſſunt? Soles autem æquè dixero, SS. Patrum volumina, & Odo Cluniacenſis libros à S. Gregorio Magno in Iob ſcriptos vocauit in hæc verba: *Tanto eam* (ſcilicet hiſtoriam (*& tam facundo protelauit eloquio, vt ex eâ, velut clarificos Soles, triginta & quinque ederet libros.* Hæretici vulturibus, & Draconibus perſimiles ſunt? SS. Patrum ſcripta non minùs oderint, neceſſe eſt, quàm vultures, & Dracones vnguenta, quibus Diui Athanaſii lucubrationes comparauit B. Petrus Damian. Card. ſerm. 9. de S. Bened. *loquacibus hæreticorum nugis inexpugnabili quadam & Apoſtolicâ prudentiâ veſtiuit, quaſique fragrantiſſimo quodam vnguento, ipſum cælum ſcriptis ſuis exhilarauit.* Vultures autem, & Dracones odiſſe vnguenta tam ipſemet Card. quàm Clemens Alex. lib. 1. παιδ. cap. 1. aliique tradiderunt. Glorioſum te vel hoc nomine Ferrandum: cuius libros puræ, putæque doctrinæ, virtutúmque omnium ſuaue ſpirantes auras auerſari potuerunt hæretici, exterminare nunquàm. Cœterùm de implacabili odio quo heterodoxi SS. Hieronymum & Auguſtinum ſunt proſequuti.

Consule S.Hier.ep.80.ad Aug.& huius ep. 166. S. autem Hilarium sepulchrale ipsius carmen sic docet extitisse.

Illius aspectum serpentes ferre nequibant.
Nescio, quæ in vultu spicula sanctus habet

III. Malleus Hæreticis.

Adagium sapit hæc commendatio, & meo quidem iudicio videtur innuere tantâ dicendi, scribendíque vi aduersus sui temporis hæreses fuisse Ferrandum, vt Mallei in ferrum, & saxa validè impacti vis maior esse nequeat. Atque hac parœmiali elegantiâ *mallei* dicti sunt ij, qui in alienâ potentiâ infringendâ se valentissimos præstiterunt. Eleganter admodum Ieremias cap. 50. v. 23. *Malleum vniuersæ terræ* Nabucodonosorem Chaldæorum Imperatorem vocitauit, quòd nihil tam firmum fuerit, quod ab eo contritum in puluerem, vt ita dicam, non abierit. Allusit ingeniosè ad eum locum D. Hieronymi ep. ad Lætam. *Si sollicita es, ne filia tua percutiatur à vipera, cur non eâdem curâ prouideas, ne feriatur à malleo vniuersæ terræ* (diabolo) *ne bibat de aureo calice Babylonis*; mundi. Legesis Interpr. oraculorum Ieremiæ. Ea fuit Friderici II.Imp. vesania, vt se, *Ecclesiæ, orbisque Romani malleum* diceret; at vereri debuerat, ne tandem Innocentius Pont. Max. in ipsum hoc Vatis citati verbulum vsurparet. *Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ?* Is enim Pontifex tantâ fuit animi constantiâ, & robore, vt meritò eum Petr. Blesensis epist. 151. sic compellet. *Sanctissime & potentissime, Innocens, cùm sis nocentium malleus, & innocentium consolator.* &c. Non multò minori cùm gloriâ, noster Carolus Martellus, nomen *Mallei* (idem *Martelli*, & *mallei* voces sonant apud Nostrates) olim tulit. Esto *Martellus* audiuerit Carolus, quòd velut *Mars alter*, reliquis sui æui Imperatoribus bellicâ virtute antecelluerit. Scipio Duplex tamen in Theodor. IIII. Franc. Rege satiùs duxit *Martellum* dictum fuisse, quòd instar *Mallei*, siuè *Martelli*, Sarracenorum copias in Gallias irruentes fregerit, & contriuerit vniuersas. Vide

Sigon

Sigon. lib. de nom. Rom. de nomine *Tuditis*, seu *Mallei*; at præterire non possum S. Ambrosium à Trith. lib. de scrip. Eccles. vocari, *Malleum hæreticorum*, *& eorum constantissimum impugnatorem*. B. Augustinum à D. Bernardo serm. 80. in Cant. & Ribaden. in vitâ. Crusen. 1. part. Monast. August. cap. 9. S. Antonium à Paduâ dictum, nomine *Ferrandum*, seu *Fernandum*, vt alias dixi, *Perpetuum hæreticorum malleum*, Breuia. Rom. 17. Iun. haud scio, an diuino id fato factum sit, vt Beato nostro Diacono Carthaginensi, Ferrando, vt zelo in hæreticis debellandis, ita & nominibus esset simillimus Antonius.

NOTÆ

In IV. Distichon.

I. Fulgentius ipse magister.

NOn leuis à Magistrorum præstantiâ redundat in discipulos commendatio, quam in Licentio non contempsit S. Paulinus, de quo sic cecinit licentiâ vsus Poëticâ, & Christianâ.

Alipius frater est, Augustinúsque magister,
Sanguinis hic consors, hic sator Ingenij.

S. Gregorius Nyssenus or. de placit. Diuo Basilio præceptore gloriatur, διδάσκαλον ἡμῶν ipsum appellitans. Eusebius Dorotheum presbyterum Antiochenum in diuinis literis doctorem suum memorat lib. 7. hist. cap. 26. S. Greg. Thaumaturgus in suâ paneg. eucharisticon Deo canit, quòd singulari eius beneficio, Originem, virum sua ætate doctissimum, nactus fuisset magistrum; quod κεφαλαιωδέστατον, *omnium caput & summum* vocitat. Ennodius de B. Hieron. scitè inquit dict. 8. *Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo melior censeretur.* S. Hier. lib. 1. adu. Iouin. S. Augustinus Ambrosium, alii alios, præceptores suos impensè commendarunt. vid.

epiſt. 112. inter ep. S. Fulberti. Petr. Cellenſ. lib. 44. ep. 7. Henr. Canis. tom. 1. Antiq. lect. de Albino, ſiue Alcuino, quem tanti feciſſe Carolum Magnum refert Monach. Sangallenſis lib. 1. de geſt. Car. M. *vt ſe diſcipulum eius, & ipſum, magiſtrum ſuum*, appellare voluerit. Eodem genio, & grati animi ſignificatione B. Ferrandus S. Fulgentium, *Magiſtrum* ſuum nuncupauit, vt cap. 3. vit. diximus.

At quandónam tandem ille ipſum audiuit? an dum Monaſticam, Pontificiámve gereret præfecturam Fulgentius? Teſtes enim ſunt Annales Eccleſiaſtici, tum SS. PP. volumina, puerilium ingeniorum culturam à religioſiſſimis quibuſque viris, vt rem Eccleſiæ nimiùm quantùm vtilem, ac ſalutarem, fuiſſe ſuſceptam. In eam rem Cœnobia, Epiſcopia, templáque, fuerunt olim literarum ſimul, & pietatis gymnaſia. Monaſteria quidem, vt eſt apud Baſilium vitæ monaſticæ profeſſorem antiquiſſimum. Is enim interrog. 292. regul. fuſiùs explicat. inquirit εἰ χρὴ ἐν ἀδελφότητι παιδίων βιωτικῶν εἶναι διδάσκαλον, *vtrum conueniat in fratrum, conuentu puerorum ſæcularium eſſe magiſtrum?* ſoluítque difficultatem reſpondendo ſeruandum eſſe præceptum Domini dicentis. Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά, *ſinite paruulos venire ad me, & nolite impedire eos.* Idem ibid. interrog. 53. Caſſian. collat. 3. cap. 1. S. Gregor. lib. 2. dial. cap. 3. Henr. Canis. cit. de monaſteriis S. Benedicti, Auiani, S. Liſardi, aliiſque tom. 5. part. 2. Theodulph. Aurelian. Epiſcopus ep. 19. & 20. Curopalata in Michaele 3. Imp. Pallad. in vit. S. Chryſoſt. Ioan. Hieros. in vita S. Ioan. Damaſc. Religioni ducerem Carolum Magnum ſiluiſſe, de quo paulò poſt. Epiſcopia verò, bonarum diſciplinarum fuiſſe palæſtras docent laudati proximè Imperatoris edicta. Is. lib. 1. capitul. cap. 72. Monaſteriorum præfectis iubet, atque inculcat. *Vt ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient, & vt ſcholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant.* Vide perelegantem eiuſdem Caroli Magni epiſtolam ad Bangulfum

ſum Abbatem datam, pro ſcholis per ſingula Monaſteria, & Epiſcopia inſtituendis. Templa quoque fuiſſe ſacrarum diſciplinarum officinas, innuit S. Chryſoſt. in pſ. 49. cùm templũ κοινὸν διδασκαλεῖον *communem ſcholam* vocat. ſuperiorẽ autem locũ, è quo ſacras paginas docere mos erat Niceph. lib. 6. hiſt. cap. 36. πρεσβυτέρων καθέδραν, *Sacerdotum cathedram*. S, Greg. Naz. carm. de vitâ ſuâ σωτηρίας θρόνον, *ſalutis thronum*. S. Chryſologus ſerm. 173. *ſacerdotalem ſedem* &c. veteres Patres nuncupauerunt. Atque à docendi munere profeſſores τῆς ἐκκλησίας διδασκάλους. Socrat. lib. 3. hiſt. c. 14. *ſophiſtas, Doctores* &c. appellitare iidem conſueuerant. Ergò Ferrandus noſter in omnibus illis locis à S. Fulgentio, quà Diuinas, quà humanas literas edoceri potuit.

Non hunc dignitas Epiſcopi à tam pio, & illuſtri munere potuit deterrere, imò potiùs (vt erat humilitatis, & charitatis ſtudioſiſſimus) ardentiùs incitare. Etenim ſacros Antiſtites ab illâ puerorum inſtitutione nequaquam abhorruiſſe docent: Macedonium Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus erudiens, S. Chryſoſtomum Meletius, Iſidorum Peluſiotam Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus Hieronymum, Alexander Epiſcopus Alexandrinus Athanaſium, & ne ſingulos memorem, Iulianus ille deſertor perditiſſimus Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum audiuit, non tamen obaudiuit.

II. Lumen eximiæ religionis.

Oppidò ſanè appoſitè S. Fulgentium, ſiue Cœnobii Præfectum, ſiue Ruſpenſis Eccleſiæ Pontificem, vocitari audis. Si enim Ariſtoteles lib. 4. Polit. cap. 15. rerumpublicarum magiſtratus ὀβελισκολύχνια *lumina obeliſcis impoſita* nuncupare non dubitauit? quin ego ſacros magiſtratus eodem nomine, elogióque ornem? Præiuere SS. Patres, quos immenſum eſſet percenſere. S. Paulinus B. Auguſtinum ep. 14. hac commendatione ornauit. *O lucerna dignè ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita, quæ latè Catholicis vrbibus, de ſeptiformi Lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens*

densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem virtutis à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas. Gregorius senior, S. Gregorii Nazianzeni pater, epist. ad Cæsarienses de Episcopis vniuersè pronunciauit λύχνος τῆς Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος. *Ecclesia lucerna, Episcopus.* Illis anteiuit Christus, cùm Apostolis diceret. *Vos estis lux Mundi* &c. Math. cap. 5. v. 14. Consule interpretes. Non dubito, quin eam ob causam Episcopi cùm lampadibus, ac cereis solerent excipi: sic ab Anastasii sorore S. Basilius, & Fulgentius ab exilio redux, teste ipsomet Ferrando, vitæ magistri cap. 29. De more lampas Patriarchæ Constantinopolitano vnâ duntaxat coronâ cincta, tum intra, tùm extra Diœcesim suam proferebatur: quod priuilegium concessum fuisse Archiepiscopis, Cypri, & aliis quibusdam Metropolitanis refert Balsam. μελέτῃ. Eadem ratio tam pro Episcopis, quàm pro Imperatore militat, quàm attulit Codin. lib. de offic. Constant. διὰ τὸ φάσκον λόγιον ἔτω λαμψάτω τὸ φῶς ἡμῶν, &c. *propter illud dictum: sic luceat lux vestra,* &c. Math. cit. v. 16. Vide Grets. nostrum in Codin.

NOTÆ

In V. Distichon.

I. Toletum pastor adisti.

NOn è Diaconatu Carthaginensi, sed è metropolitano Episcopatu Carthaginis Spartariæ (licet id Epitaphista sileat) in Ecclesiæ Toletanæ Pontificatum Ferrandus immediatè translatus fuit. Cur id reticuerit haud scio nisi quia (vt suspicor) Toletanæ sedis splendor Carthaginensis cathedræ lucem, vt Lunam sororem Sol, obscurauit. Hanc verò Episcoporum translationem olim Nycœna Synodus can. 15. his verbis vetuerat. ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. *A ciuitate in ciuitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus transeat.*

eat. quòd tranſlatio ingentes tumultus, & ſeditiones in Eccleſiis crearet. Vide Balſam. in illum can. B. Ferr. breuiar. tit. 18. ex aliis Concil. Deinceps tamen à ſede in ſedem, à ciuitate in ciuitatem, à Prouinciâ in Prouinciam, cùm neceſſitas, vel grauis vrgeret cauſâ, Epiſcopi commigrare cœperunt, vt notat Socrates hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 36. & è recentioribus Iuo Carnotenſis ep. 171. *Tranſlationes Epiſcoporum neceſsitate vrgente, Metropolitani authoritate, & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet.* idem epiſt. 169. Eapropter Agapetum Pont. max. cuiuſdam Epiſcopi tranſlationem, ſine causâ, ab Imperatore Iuſtiniano factam improbaſſe Zonaras teſtis eſt. Cuius veſtigiis inſiſtens Eugenius III. Papa noluit confirmare tranſitum Hincmari Epiſcopi Sicenſis ad Eccleſiam Magdeburgenſem, ad quam eum Fridericus Imp. elegerat, vt refert Otto Friſing. lib. 2. de rebus Frid. cap. 8. Ideò verò proximum eſt, B. Ferrandum iuſtiſſimam ob cauſam ab Epiſcopatu Carthaginenſi ad Toletanum affectâ iam ætate commigraſſe.

Cœterùm Toletum fœmineo genere donauit Venantius Fortunatus lib. 6. Carm. 7. de Geleſuinta.

Non fruor amplexu, nec viſu plena recedo,
Quæ me dimittis, Dura Tolete, vale.

II. Hanc ſedem.

Sedem olim pro Epiſcopatu ab Eccleſiaſticis Scriptoribus vſurpari Sole clariùs eſt, Sidon. Apollinar. lib. 1. epiſt. 6. lib. 7. epiſt. 5. & alibi paſſim, & Ioan. Sariſber. epiſt. 54. ad Reg. Angl. Aliàs *cathedram* vocare placuit tam Græcis, Syneſ. epiſt. 67. quam Latinis. Optat. Mileuit. lib. 1. adu. Parmen. ſucceſſorem Maiorini Schiſmatici in Epiſcopatu Carthaginenſi in Africâ occupato. *Cuius tu*, inquit, *hæreditariam cathedram ſedes.* idem Cœciliani Epiſcopi Carthag. legitimam electionem fuiſſe his tribus probat circunſtantiis: *Conferta erat Eccleſia, populis plena, erat cathedra Epiſcopalis, erat altare loco ſuo, in quo pacifici Epiſcopi retrò temporis obtulerunt*

lerunt, Cyprianus, Lucianus, & cœteri, Ennod. epigr. 79. &c. Theod. Balſamon præf. Concil. Carthag. obſeruauit, Sedem Apoſtolicam, ἀποστολικὴν καθέδραν, olim dictam, ὡς τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου ἐν αὐτῇ διαπρέψαντος. *Quod Petrus Apostolorum Princeps in eâ claruerit. Sellam* vocauit Ennod. cit. & Sidon. lib. 9. epiſt. 16. *ſolium*, S. Clemens lib. 2. Conſtit. Apoſtol. Seuer. Sulpit. dial. 2. cap. 7. *thronum* S. Athan. Apolog. 2. contra Arian. & epiſt. ad Solitarios.

Cœterùm Epiſcoporum thronum ſublimem & ſtragulâ veſte ornatum fuiſſe docet S. Athan. proximè citatus, & Ioannes vitæ S. Epiphanij ſcriptor cap. 56. in hæc verba miraculum denarrat. Poſtremum è diaconorum Salaminis numero, Ruffinum *nomine malus Dæmon impulerat, vt ſuaſore Fauſtiniano Gentili, ſpe Epiſcopatus, S. Epiphanio necem moliretur. Eum in finem, cùm ornare Epiſcopi thronum deberet (id enim muneris ad poſtremum Diaconorum ſpectabat) ſub ſtragulis gladium, quo ipſum nihil minus cogitantem perimeret, clam oculuit; ſed diuinitùs admonitus Epiphanius, iubet hominem ſtragulam veſtem amouere, quod cùm facere ſatageret, gladius in ſicarij dextrum pedem cecidit, quo ex vulnere triduò poſt animam euomuit.* Cùm audis ſolium Epiſcopi, elatum, atque (vt cum Athanaſio loquar) *epiſcopaliter ſtolatum*, mirare minùs, cùm & ipſos Epiſcopos *Monarchas*, & Epiſcopatus, *Monarchias* aliquando veteres ſcriptores dixerint. Hilarius Papa epiſt. ad Leontium Epiſcop. *Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem eſſe, vt quæque iniqua, & contra Patrum noſtrorum ſtatuta, in prouinciâ, quæ ad Monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentij tui taciturnitate permittas corrigere.* Item in vita S. Vldarici Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopi. Caſaubon. exercit. 15. in Baron. ad ann. 33. num. 18. Ratio verò cur ſedes Epiſcoporum in Eccleſiis ſublimiores, & ornatiores ſint, hæc eſt, explicante Vrbano Pont. *Vt thronus ſpeculationem, & poteſtatem iudicandi, atque ſoluendi, & ligandi à Domino datam, ſibi materiam doceat.*

NOTÆ

NOTÆ

In VI. VII. VIII. Disticha.

I. Fueras exul.

SOlemne fuit hæreticis Episcopos Orthodoxos in exilium amandare, qua de re grauiter conqueritur apud Imp. Constantium S. Athanasius in aureâ suâ Apologiâ, vbi Episcopos, imprimis Africanos, bene multos ab Arianis in exilium deportatos memorat: vt mirum videri non debeat, S. Fulgentium cum maximâ Pontificum turbâ, Trasamundi Regis Ariani edicto exulare iussum fuisse. Sic Diaconos cum Episcopis patrio solo exturbatos olim ab hæreticis fuisse, idem, qui supra S. Athanas. epist. ad solitar. testis est, *Cum Eustachio Episcopo*, inquit: *nec mora in exilium eiicitur, & cum eo ingens turba Presbyterorum ac Diaconorum*: ita Ferrandus noster, Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, exilij comes S. Fulgentio Ruspensi Episcopo, institutori suo factus est.

At quò tandem exulatum abierunt? iam retuli in Sardiniam: de more scilicet tyrannorum, qui Christianos identidem in illam Mediterranei maris insulam curabant deportari. Ne in re Africanâ ab Africanis tyrannis longiùs abeamus. Victor Vticensis lib. 2. perseq. Vandal. denarrat Hunnericum fidei causâ, milites Catholicos è militum albo, ignominiosè expunxisse, *quos posteà domibus proiectos, omnique substantiâ spoliatos in insulas Siciliam, & Sardiniam relegauit.* Æmulatus nimirum est Tiberium Imp. qui (testibus Sueton. cap. 26. in Tiber. & Corn. Tacito lib. 2. Annal. sub fin.) iussit, *vt Iudæorum, & Ægyptiorum quatuor millia in Sardiniam insulam veherentur, qui si interiissent ob grauitatem cœli, facilem iacturam, & vtile damnum futuram credebatur.* Grauitatem verò illam cœli Sardiniæ confirmant è Philosophis Seneca consol. ad Heluiam,

ex Oratoribus, Symmachus lib. 9. epist. 39. de filio suo Benigno, rei frumentariæ causâ in Sardiniam profecto: *Nihil*, inquit, *de Sardiniâ reportauit, nisi bonam conscientiam, & malam valetudinem.* Peracutè omnino: nec ab hoc Martialis acumen longè abest lib.4. epig.60.

Nullo fata loco possis excludere, cùm mors
Venerit, in medio Tibure, Sardinia est.

Quibus verbis salubritatem Tiburis opponit pestilentibus Sardiniæ auris, quas Silius Italicus ex paludosis locis oriri sic panxit:

— tristis cælo, & multâ vitiata palude.

Verùm id viderint Medici. Certè idem de relegatione in Sardiniam iure dixeris, quod Pachymeres de Pathmo insula obseruauit in epist. 10. S. Dionysij Areop. ad S. Ioannem eò deportatum, datâ: tu illum consule.

I I. Doctor.

Doctorum videlicet in cœlis aureolâ (vt vocant Theologi) donatus. S. Augustinum *Doctorem Libycum*, vocat Ennod. lib. 1. epist. 4. cuius locum eruditè noster Sirmondus suis in eundem Notis, restituit corruptum ex lib. 2. Confess. S. Aug. cap. 4. Eundem S. Paulinus epist. 58. inter epistolas S. August. cap. 4. ~~eundem S. Paulinus epist. 58. inter epistolas S. August.~~ vocat, *Benedictum Doctorem Israël.* D. Hilarius dicitur ab Augustino lib. 2. contra Iulianum Pelag. *Catholicus, & insignis Ecclesiarum Doctor.* Mitto reliquos. B. Ferrando S. Fulgentius fuit, *Africanæ Ecclesiæ prædestinatus Doctor*, Vit. cap. 14. & cap. 29. *Catholicæ Ecclesiæ singularis magister, & Doctor.*

I I I. Montanus.

Vir fuit singulari doctrinâ, sanctitate, & miraculis clarus, vt loquitur Loaisa in not. ad Concil. 2. Toletanum, cui præfuisse asserit secundùm Iulianum Archipresb. Tolet. in Chron. num. 265. & 272. qui num. 633. refert Aulum Halonem, Poëtam Burdegalensem, donatum ciuitate

tate Toleto, ab Imperatore Adefonso VI. scripsisse vitas aliquot Pontificum Toletanorum, & inter eos, Montani, *cuius in secundâ diptychâ* (vt ait num. 2.) *pro spiritibus pausantium* fit mentio, nostri *Hectoris*, *Celsi*, *Montani*, Idelphonsus Episc. Tolet. in Append. ad S. Isidor. de Vir. Illustr. Ecclesiæ, epistolas ab eodem Montano sanctissimo Pontifice scriptas recenset. Ad extremum miraculis claruisse, ex vno duntaxat, tanquam ex vngue leonem coniice: *Montanus sedis huius beatissimus Præsul* (verba do Ildephonsi) *vt à se coniugalis conuersationis infamiam propulsaret, tamdiu assumptos veste candentes narratur tenuisse carbones, donec Domino consecrans oblationem, totius per semetipsum compleret Missæ celebritatem; quo sacrificio expleto, prunarum ignis cum decore vestis adeò in concordiam venit, vt neque vestis vim extingueret ignis, neque ignis statum deleret vestis.* Hæc ille. Ex quibus intelligis, quàm verè Ferrandi nostri deprædicator panxerit, de Montano:

Moribus, ingenio, par quoque laude tibi.

Eadem in commendationem aliorum præstantium virorum vsurpata, & memorata obseruo. Ennod. epig. de vita & act. S. Ambrosij:

Egit, quod docuit, meritis, & honore superstes
Ambrosius, vates moribus, ingenio.

Elegans epitaphium, quod incisum marmori in D. Pauli basilicâ, Romæ visitur, Petilio Processio, Sedis Prætorianæ togato, à fratre olim positum:

Te natura parens omni depinxerat arte,
Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.

Itaque Montano illud meritò accommodes, quod laudatus Ennod. epig. 95. de Gerontio cecinit:

Te reparante redit, patitur sors pallida lethum,
Viuit post obitum discipuli pretio.

NOTÆ

In reliqua Disticha.

I. Tuus fuit hac in ſede miniſter.

BEato Ferrando Montanus in Eccleſiâ Toletanâ, quà Diaconus, *Miniſter* extitit: primò quia Epiſcopo ſacrificanti Diaconos adeſſe mos erat, vt S. Ignatius epiſt. 2. ad Trall. luculenter edocet, dum ait Diaconos *nihil aliud eſſe, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum miniſterium illis exhibent* (Epiſcopis ſcilicet, ac ſacerdotibus) vt S. Stephanus Beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo: Anacletus, & Clemens Petro. Hinc iſta S. Laurentij ad D. Sixtum Pontificem pia & iuſta querela. *Quò progrederis ſine filio Pater? quò Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas? tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras.* S. Ambroſ. lib. 1. off. cap. 31. factáque ab Epiſcopo panis, ac vini conſecratione, corpus & ſanguinem Chriſti fidelibus miniſtrabant; eapropter S. Ignatius laudatus, ait, διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ. *eſſe miniſtros myſteriorum Ieſu Chriſti*, quod S. Iuſtin. Apol. 2. confirmat, Arat. lib. 1. Actor. S. Cypr. lib. de lapſis, Clem. lib. 2. conſtit. Apoſt. cap. 44. & 54. & S. Laurentius, cuius hæc verba ſunt: *Cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem; cui conſummandorum ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* Secundò Pontifici, de ſuperiori loco ad populum verba facienti Diaconi aderant.

Tertiò Epiſcopo ætate confecto, aut vitio linguæ laboranti ſolemne erat quempiam è Diaconis in partem laboris vocare, qui ad populum diceret. Sic Valerio Hipponenſi Epiſcopo annis graui Auguſtinus lingua fuit: Sic Valerij Cæſarauguſtani Præſulis vices in concionando, S. Vincentius Diaconus ſuſcepit, & geſſit; quod boni illi Antiſtites propter linguæ impedimentum, concionandi

munere

munere fungi non poſſent. Eaſdem ob cauſas, Montanum, Beati Ferrandi Pontificis Toletani obſequiis, & miniſterio addictum puto: tum vt eidem verba facienti, vel ſacrificanti adeſſet, tum, vt ipſum ætate grauem, morbíſque confectum, concionandi labore, de more, inſtitutóque maiorum, ſubleuaret. Quod autem Ferrando Montanus operæ contulit, eam Ferrandus ipſe ſuam Epiſcopo Carthaginenſi longè antè præſtiterat, vt colligo ex ſequentibus Epitaphij verbis:

——— *te docta miniſtro.*

Quomodo enim Carthaginem docere potuiſſet Diaconus, niſi ſi iampridem in moribus id fuiſſet receptum?

II. Amans pecudum &c.

A Tribus capitibus, quæ Pontificem quàm maximè condecorant, Ferrandus noſter commendatur. Primùm eſt ſingularis in oues ſuæ fidei commiſſas amor. Non eſt, quod dicam *pecudum* nomine intelligi Chriſtianos Epiſcoporum fidei commiſſos, cùm dicat Tertull. lib. de Pudicit. *Ouis propriè Chriſtianus, & grex Domini, Eccleſiæ populus.* populus, inquam, fidelis, & Orthodoxus. Nam (vt ait S. Auguſt. ſerm. 63. de verb. Dom. *Petro dicitur*: paſce oues meas *ſchiſmaticis dicitur, hædos tuos: hic oues, ibi hædi, hic meas, ibi tuos &* reliqua. Amorem paſtori neceſſarium eſſe Chriſtus luculenter his verbis expreſſit Io. cap. 10. *Paſtor bonus animam ſuam pro ouibus ſuis.* Vid. S. Aug. ſer. 50. in Ioan. longè illi abſimiles, de quibus Tertull. lib. de cor. milit. *Noui & paſtores eorum in pace Leones, in prælio Ceruos.* Oues ſuas amare didicerat B. Ferrandus, & à ſuo Magiſtro S. Fulgentio, & à ſexaginta illis inuictiſſimis Epiſcopis, quibus in exilio comes fuit, qui ſe tam in prælio, quam in pace Leones præſtiterunt. Secundum eſt, vigilantia exquiſita, quam Timotheo S. Paulus commendat 2. Tim. cap. 4. v. 5. & quam S. Auguſt. ſerm. 62. cit. ait ad Epiſcopos pertinere, *vt ad fideles humilitatem gregis.* Tertium eſt, innocentia vitæ integerrima, quam in

Episcopo exigit idem Gentium Doctor 1. ad Tim. cap. 3. v. 2. &c. Consule S. Athan. epist. ad solitar. S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Petr. Dam. lib. 2. epist. 1. Quæ duæ virtutes, vt olim diximus, in B. Ferrando insigniter eluxerunt.

III. Amice Dei.

Hoc in paucis elogio Abrahamum, *patrem fidei nostræ*, S. Iacobus diuinitus ornatum asseuerat, ep. cap. 2. Magna laus Ferrando nostro, qui *amicus Dei* audiuerit: Nec vacat hic titulus medullâ suâ. Nam ideo Ferrandus vocatus est *amicus Dei*, vel quia Episcopus: Episcopos enim *Deo Amabiles*, *Deo Amantissimos*, in iure Cæsareo, & Canonico passim legere est. ex sexcentis locis vnum consule cod. de Episcopo & Cleric. lib. 44. & lib. 46. à Græcis θεοφιλεστάτους vocari refert Theod. Balsam. in canon. 58. Conc. Carthag. Socrat. in præf. lib. 6. hist. Eccl. vel quia Cælo donatus. In Cælis enim omnes sunt *Dei amici*, vt iure Clem. Alex. lib. 4. Strom. pag. 361. eos vocet βασιλικοὺς φίλους; allusisse ipsum credo ad *Amicos Regum Persarum* de quibus lege Brisson. lib. de regn. Persar. Ennod. lib. 9. epist. 12. Cœlites, *amicos Dei* nuncupauit: vel quia olim pro fide Confessor eodem modo Tertull. lib. de pœnit. cap. 8. & S. Cyprian. lib. 1. epist. 5. & lib. de vnit. Eccles. *Caros Dei* indigitare amauerunt Confessores.

IV. superæ sedis.

Egregiâ, vt vides, antithesi opponitur sedes sedi; sedes, inquam, Toletana sedi Empyreæ. Illam B. Ferrandus in terris viuus, hanc mortuus in cœlis implet, vtrobique iudex. Sunt enim in cælis sedes Cœlitibus. *Qui vicerit*, inquit Christus Apoc. cap. 3. v. 21. *Dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cùm patre meo in throno eius* Beato Ioanni Euangelistæ in insulâ Pathmo exulanti diuinitus visa sunt *in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circum amicti vestimentis*

mentis albis, & in capitibus eorum corona aurea. Apoc. 4. v. & alibi passim. Quibus locis beatos cùm Christo in partem iudiciariæ potestatis vocatum iri significatur, interprete S. Gregorio, vt ex hisce verbis ipsius lib. 26. moral. expos. In cap.36. Iob. cap. 21. intelliges. *Reges in solio collocat in perpetuum* (ita textus sacer, quem explanans, infit: *Semetipsos enim regendo, ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis æternæ solio in perpetuum collocantur, & eo illic accipiunt alios dignè iudicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur.* Donec iustitia conuertatur in iudicium: Psal. 93. *Paulus de se suisque consortibus dicit: vt nos* efficeremur iustitia Dei in ipso. *Iustitia igitur in iudicium vertitur: quia hi, qui nunc iustè, atque irreprehensibiliter viuunt, tunc iudicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiciæ Ecclesiæ Dominus dicit:* Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. *Vincens dominus throno cum Patre sedisse se asserit: quia post passionis certamen, post resurrectionis palmam clariùs se omnibus, quòd pfotestati Patris esset æqualis, indicauit, eique se non disparem calcato mortis aculeo innotuit. Vnde & Mariæ necdum credenti se patri similem dicit:* Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem. Ioan. cap. 20. *Nobis enim in throno filij sedere est, ex eiusdem filij potestate iudicare. Qui enim iudicij principatum ex eius virtute percipimus, velut in throno eius residemus. Nec abhorret à verò, quod aliàs super duodecim thronos venturos esse discipulos, hic verò in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim, vniuersale iudicium, per thronum verò Filij, singulare culmen iudiciariæ potestatis ostenditur. Hoc ergò duodecim thronis, quòd vno throno Filij designatur: quia videlicet vniuersale iudicium ex mediatoris nostri interuentione percipitur. Dicatur ergò:* Reges in solio collocat in perpetuum. *Aptè autem,* in perpetuum, *subdens, apertè quid dicat, insinuat. Si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus,* in perpetuum *subdidisset: quia quique illud arripiunt, profectò non in eo in perpetuum, sed temporaliter collocantur.* Hæc sanctissimus Pontifex quem instar omnium, breuitatis ergò, esse volo. Quid prætereà

tereà cœlestes illæ Beatorum sedes significent, nec voluntatis meæ, nec operæ pretium est impræsentiarum copiosiùs disputare. Videsis S. Dionysium Areopagitam lib. de cœl. Hier. cap. 3. & 15. & lib. de Eccl. Hier. cap. 7. in contempl. pro mort. ibid. Maxim. Pachym. & Corder. Item. interpretes in Apocal. loc. citat. quos sigillatim recensere superuacaneum est.

Satiùs erit confirmare D. Ferrandum tam in terris, quàm in cœlis iudicem sedisse, sessurúmque aliquando. In terris quidem, quandoquidem cùm Carthagine Spartariâ Episcopus, simul & Metropolita, tum Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas, suorum lites, & controuersias (vt Episcoporum olim muneris fuit) sapienter, quoad vixit, dirimere sategit, sequutus optimi institutoris sui S. Fulgentii exemplum & charitatem, de quâ sic vit. S. Fulgen. cap. 29. *Quomodo inter proprios Clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium lites, & contentiosa certamina dirimebat.* Præiuerat vtrique Beatissimus Augustinus, qui agens de suorum temporum hominibus, qui sæculares suas curas apud sacerdotes, & imprimis Antistites finiendas optabant, ait: *Aliquando agamus, & negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis, & pecoribus, pro quibus rebus quotidie summisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus* epist. 147. & lib. de oper. Monach. cap. 29. & tract. 25. in Ioan. & lib. 50. hom. 37. denique *ob diuersas curas*; inquit, epist. 135. *quas nostra seruitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas aliis rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor*, eodem pacto B. Ferrandum perparum otii nancisci potuisse crediderim *inter aceruos occupationum, quibus eum alienæ vel cupiditates, vel necessitates angariaratum habebant*, vt verbis vtar Augustini 158. vid. Durant. lib. 3. de rit. Ecclesiast cap. 24. N. 6. In cœlis verò ipsum *in throno Filii Dei sedere* hoc est, *eiusdem Filii potestate iudicare*, quemadmodum explicauit Gregorius, nequaquam mihi

in

in dubio eſt? cùm ſemetipſum regendo vicerit, & in regni æterni ſolio in perpetuum à Deo fuerit collocatus. Ad ſummam videbit eundem aliquando iudicandus Orbis ſedentem ſuper ſedem, & cùm Apoſtolis, viríſque Apoſtolicâ rerum omnium abdicatione præcellentibus, iudicantem duodecim tribus Iſrael, imò & Angelos ipſos, dicente Apoſtolo. 1. Cor. cap. 6. v. 3. *neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia?* Quæ, Qualéſve ſint illæ ſedes, prudenter coniectando diuinans, docebit te doctiſſimus noſter Maldonatus in cap. 19. Matth. v. 28. Atque hac de re ſatis.

V. gremio continet oſſa ſuo.

Maternum neſcio quem terræ, communis mortalium parentis optimæ, affectum vox gremii, ſinúſve apprimè exprimit, atque deprædicat. Plinius lib. 2. hiſt. natur. cap. 83. peregregiè in maternam erga ægros, miſeróſque mortales, vt ita dicam, telluris pietatem excurrens, ſic fatur. *Sequitur terra, cui vni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, vt cælum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemélque editos ſuſtinet ſemper: nouiſsimè plexa gremio iam à reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè, vt mater, operiens nullo magis ſacramento (* vel vt alii legere malunt *ſacra merito) quàm quòd nos quoque ſacros facit, etiam monumenta, ac titulos gerens, noménque prorogans noſtrum, & memoriam extendens contra breuitatem æui.* Hæc in gratiam mortuorum inſignis naturæ perſcrutator, ac præco. Sidonius Apollinaris auum ſuum Aruerniæ ſinu receptum canit, lib. 3. epiſt. 12. in hæc verba.

Præfectus iacet hîc Apollinaris
Poſt Prætoria recta Galliarum
Mærentis patriæ ſinu receptus

Plura, qui volet, antiquos, recentioréſque ſcriptores pro arbitratu, & otio euoluat.

VI. nacta parentem.

Carnis nostræ satoribus, ratione pietatis, potestatis, ac prouidentiæ, quibus erga liberos possunt, pollentque omnia, id nomen adhæsit, vt liquet: quanto id potiori iure, mentis nostræ progenitoribus deferendum fuit? *Progenitores* dixi *mentis nostræ*, secundum beatissimum Paulum, eos, qui ad Christianæ vitæ sanctitatem quoquo modo nos eduxerunt. *Per Euangelium ego vos genui*, inquiebat Gentium Doctor Corinthios per literas affatus 1. Cor. cap. 4. v. 15. idémque Philemonem *in vinculis se genuisse* gloriatur. In quo verò sita sit huiuscemodi animorum castissima, cœlestisque generatio, elegantissimè simul & ingeniosissimè S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Christi resurr. in hunc modum descripsit, ἦλθεν ἡ τῆς ζωῆς βασιλεία, καὶ κατελύθη τοῦ θανάτου τὸ κράτος, καὶ γέγονεν, ἄλλη γέννησις; βίος ἕτερος, ἄλλο ζωῆς εἶδος, αὐτῆς τῆς φύσεως ἡμῶν μεταστοιχείωσις. τοῦτο ἡ γέννησις, οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς ἀλλ᾽ ἐκ θεοῦ γενομένη, πῶς τοῦτο; σαφῶς σοι παραστήσω διὰ τοῦ λόγου τὴν χάριν. οὗτος ὁ τόκος, διὰ πίστεως κυοφορεῖται, διὰ τῆς τοῦ βαπτίσματος ἀναγεννήσεως εἰς φῶς ἄγεται. τροφὴ, ὁ ἄνωθεν ἄρτος. ἡλικίας τελείωσις, ἡ ὑψηλὴ πολιτεία γάμος, ἡ τῆς σοφίας συμβίωσις. τέκνα, αἱ ἐλπίδες εἶναι, ἡ βασιλεία κλῆρος, καὶ πλοῦτος, ἡ ἐν τῷ παραδείσῳ τρυφὴ· τέλος δὲ ἀντὶ θανάτου, ἡ ἀΐδιος ζωὴ, ἐν τῇ ἀποκειμένῃ τοῖς ἁγίοις μακαριότητι. *Venit vita regnum & solutum est mortis imperium. Apparuit alia generatio, alia vita, alius viuendi modus, ipsius naturæ nostræ commutatio. Quænam generatio? quæ non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo facta est. Quînam, inquies, hoc fieri potest? Audi, nam paucis explicabo. Fœtus hic per fidem concipitur, per Baptismatis regenerationem in lucem editur; nutricem habet Ecclesiam, huius doctrinam & instituta, tanquam ubera; illi cælestis panis est cibus: ætatis perfectio est sublimis uiuendi ratio, nuptiæ consuetudo sapientiæ: liberi spes, domus regnum: hæreditas & opulentia; deliciæ paradisus: finis non mors, sed vita illa, quæ dignis parata est beatissima & sempiterna* hinc est,

quamobrem

quamobrem Episcopi, quorum sunt partes diuinâ vitâ donare mortales, olim *Patres* simpliciter nuncuparentur. S. Augustinus præsēte Valerio Hipponensi Episcopo psalmū octuagesimum sextum exorsus explicare; *hic psalmus*, inquit, *tractandus modò est propositus a beatissimo præsente Patre nostro.* in psal. 94. Vnde intelligas, cur summus Pontifex *Pater Patrum* appellatus olim fuerit: a Constantino Magno Imperatore Siluester, vt habes in eiusdem edicto: ab Ægyptiis Episcopis Fœlix: ab Iuone Carnotensi Vrbanus; a Consilio Epiri Hormisdas; ab Hincmaro Hadrianus, & sic de reliquis. Quanquam non me fugit, *Patrem Patrum*, seu Episcoporum, aliquando dictum fuisse inter Episcopos illum, qui ætate, doctrinâ, sanctitate cœteros antistabat. Hac dicendi licentiâ vsus Sidonius Apollinaris lib. 6. epist. 1. S. Lupum Tricassinum duntaxat Episcopum, sic compellat. *Tu Pater Patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter sæculi tui Iacobus*: id est, tu virtutum, ætatis, & doctrinæ merito inter nostros Gallicanos Patres, siue *Papas* (quâ voce, illo æuo vti mos inualuerat) siue Episcopos, es facile princeps, & sanctitatis famâ *Diuum Iacobum* pene adæquas. Bene multis de hac Episcoporum nomenclaturâ edisseruit doctissimus Cresolius lib. 1. mystag. cap. 9, sect. 1 & 2. Sauaro in citat. Apollin.

VIII. in sua Patronum commoda.

Veteres Idololatriæ tenebris altissimè immersi mortuos *ἀχρήστους*, hoc est, *inutiles* appellitarunt, quòd nullum ab illis in superstites dimanaret emolumentum; quemadmodum Plutarch. *ἐν αἰτίοις* attestatur. In eâdem hæresi fuit Imperator, qui in Instit. de excus. tut. ita loquitur: *Defuncti non prosunt.* Præiuerunt nostri æui hæreticis, qui id vnum student, & moliuntur, vt sanctorum virorum, qui in domino mortui sunt, potentissima patrocinia deridiculo habeant. Nihil enim frequentiùs habent in ore, quàm mortuos *ἀχρήστους*, & *inutiles* mortalibus existere, vt Orthodoxorum erga Cælites pietatem, & cultum, simul & in

eorumdem prehensandis apud Deum patrociniis religiosum ardorem extinguant funditùs si possent; aut certè debilitent insigniter, si non possint. Adi valentissimum Hæreticorum malleum, hæreseónque omnium triumphatorem Bellarminum tom. 1. lib. 3. cap. 21. 23. §. 1. tom. 2. cap. 8. & iudic. de concord. mendacio 10. & alibi passim. Longè aliter à nostris Pseudochristianis, homo Gentilis, Plato censuit, qui apud Eusebium lib. 12. de præparat. Euang. cap. 1. dixit: *defunctorum animas virtutem habere, quâ vel post mortem rebus humanis auxiliarentur.* Hauserat pîum hunc sensum ex sacrarum literarum & Hebræorum fontibus, vt equidem reor, industrius peculator, & audax diuinorum librorum plagiarius. Iudæos Babylone seruitutem miserrimam seruientes Baruch propheta nobis exhibet cap. 3. v. 4. in hæc verba Domino supplicantes. *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel.* Macchabæus suos contra Nicanorem acie decertaturos pulcherrimi visi enarratione mirùm quantùm pro concione animaturus, memorat Oniam, qui fuerat summus sacerdos, &c. manus protendentem fuisse visum orare pro omni populo Iudæorum. *Post hæc apparuisse & alium virum, ætate, & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum*, &c. Ieremiam videlicet, prophetam Dei, *qui multum orabat pro populo, & vniuersâ sanctâ ciuitate* 2. Macch. cap. 15. v. 12. 13. Non refero Dorotheum. in Synops. cap. 1. denarrantem Iudæos Isaiæ vatis sanctissimi, exuuias in Siloë compositas summis honoribus coluisse, quòd demortui, vel potius in cœlo viuentis precibus aquas elicuisse meminissent. Sileo B. Epiphanium idipsum confirmantem lib. de vit. Proph. cap. 7. insuper addentem Ægyptios Fideles solitos orare ad Ieremiæ sepulchrum, indéque sumpto puluere morsibus aspidum mederi, & crocodilos fugare. ibid. cap. 8. capite verò nono attestatur Ezechielem iacere in Syrorum regione, ac multos ad eius sepulchrum orationis causâ confluere solitos. Cùmque frequens Iudæorum illic ad ipsius memoriam

riam concursus esset aliquando factus, Chaldæi ne contra se consurgerent, impressionem in eos facere, atque interficere decreuerant. At Prophetæ beneficio fluminis aqua constitit, vt Israëlitæ vlteriorem in ripam transmittentes euaderent. *Ex hostibus qui fugientem populum ausi sunt persequi, pone ipsum demersi sunt.* Hæc & alia haud multum absimilia miracula sanctissimus Pater Ezechielis Prophetæ demortui precibus, ac meritis patrata refert. Hoccine fuit Hebræos cum nouatoribus nostris Agiomachis credidisse, viros sanctos, vitâ functos ἀρχύσυς & *mortalibus inutiles* esse? de Christianorum orthodoxâ fide, super eiuscemodi controuersiâ, non est, quod diutiùs disputando immorer, ne videar actum agere, & recoctam toties à Theologis, & rerum fidei controuersarum tractatoribus crambem, nauseantibus stomachis obtrudere oppidò sanè imprudenter.

Vides itaque Beatissimum Ferrandum, ab Epitaphista, dici, *patronum ad sua commoda vocatum* olim fuisse à ciuitate Toletana, cuius pontificiam sedem viuus insederat, pro more Cœlituum, quos Sancti Patres, ac reliqui scriptores Ecclesiastici *Patronos* apud diuinum Numen cùm vocare tum inuocare consueuerunt. S. Ambrosius lib. 10. in Luc, cap. 21. *denique mortuis Regibus, in perpetuum Martyres regno cœlestis gratiæ honore succedunt, & illi fiunt supplices, hi patroni.* Idem lib. de viduis. S. August. lib. de cura pro mort. habenda cap. 4. S. Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo. S. Sidon. Apollin. lib. 7. ep. 1. & 17. lib. 9. ep. vlt. S. Greg. Turon. lib. 2. de mirac. c. 4. 6. 19. & sexcenti alij, quos sigillatim recensere nullo modo est pretium operæ. Eodem sensu Prudentius S. Vincentium, *efficacem oratorem* indigetat his verbis hym. 5. de eodem

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris


Prudentium imitatus Ennodius Hym. 3. de S. Cypriano, eundem pro peccatoribus in cœlo, vti fecerat pro reis cùm viueret in terris, patrocinantem in hunc modum expressit oratorem elegantissimis versibus.

Nunc munus implet pristinum
Orator, orat, obtinet,
Et dura causis temperat
Facit beatos ex reis.

Constantinus Imperator in edito à se rescripto in gratiam B. Syluestri Pontificis maximi, apud Theodorum Balsamonem tit. 8. de Paroch. Diuum Petrum & reliquos Christi Vicarios vocitat, *suos apud Deum defensores*. Illius hic sermo est. θελόμεν ἡμεῖς αὐτὸν τὸν κορυφαῖον, τὸν Ἀπόστολον, καὶ τοὺς διαδόχους αὐτοῦ ἐκ προσώπου, αὐτοῦ πρώτους, πρὸς τὸν Θεὸν πατέρας εἶναι, καὶ δεφένσωρας. *Volumus Apostolorum Principem, & successores eius, ac Vicarios esse primos apud Deum Patres, & defensores.* Græciâ, Latinam *Defensoris* vocem, vti vides, donauit piissimus Imperator, quâ Apostolorum coryphæum, eiúsque sanctissimos successores, suos esse in cœlis *Patronos* significat se optare. Quî verò, & quale *Defensorum* in Ecclesiâ Romanâ foret officium, docuit Onuphrius in Pelag. Pont. ex eiusdem rescripto ad Antoninam Patritiam, quæ postulabat Monachum quendam creari *Defensorem*, in quo rescripto munera Monachi, & Defensoris conuenire non posse, in hæc verba declarat. *Illis enim quies, oratio, labor manuum competit: At iis causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcumque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit*, &c. *Defensores* autem *Regionarios* à S. Gregorio institutos refert Eminentissimus Cardin. Baron. ad Ann. 598. Noster verò Gretserus lib. 1. comm. in Codin. cap. 5. *Defensori*, magnæ in Ecclesiâ Romanâ existimationis respondere asserit in Ecclesiâ Græcâ προδέκτικον, ad cuius munus attineret pauperum, & infirmorum cura, ne à potentioribus opprimerentur, vt docet Balsamon in suâ, de Chartophylace & Prodectico, disputatione. Codinus addit Prodectici fuisse partium, atque officii, εἰς τὸ ἀντι-

λαμβά

λαμβάνεσθαι τοὺς αἰχμαλώτους, καὶ κριτὴς, τῶν ἐγκληματικῶν ὑποθέσεων. *curam gerere captiuorum, & iudicem ſuper omnibus querimoniis, quæ ad forum contentioſum deferebantur, ſententiam ferre.* lib. de offic. Conſtantinop. cap. 1. Cruſius inſuper in ſuâ Turcogræcia fol. 218. voluit ad Prodecticum, ſeu *defenſorem* ſpectaſſe eos, qui ad Eccleſiam confugerent, recipere, *ſed malè*, inquit Gretſerus, *Nam confugientium ad Eccleſiam cura pertinebat,* πρὸς τὸ σακελλίου, *ad ſacelli Præfectum* de quo ipſe plur. cap. 3. N. 4. vult autem intelligi eos, *qui ex captiuitate ad Chriſtianos ſpe libertatis confugiebant.* Quæ res ſi ſe ita habuit, ſapienter omnino Conſtantinus Imperator, piè ambiuit *Apoſtolorum Principem Petrum* in cœlis, *eiuſque ſucceſſores* in terris, *apud Deum habere defenſores*, vt ſui ſupplicantis neceſſitates, & ſi quæ fortè à malis Geniis apud Deum aduerſus ſe lis intentata foret, æqui propitiique iudices cognoſcerent, ab hoſtium tuerentur potentiâ infirmum, captiuum à quotidianis peccatorum vinculis exoluerent, & à ſeruitute Diaboli transfugam in libertatem filiorum Dei aſſerere, cœlóque donare aliquando ne grauarentur. Fingamus nos, *perbeneuole, & orthodoxe lector,* ad tanti, támque religioſi Imperatoris exemplum, & amabilem, fructuoſámque pietatem, ſimul & beatiſſimum Cælitem, *Ferrandum* habere ſtudeamus apud Deum dum ſpirare, atque ſperare datur, potentiſſimùm *Defenſorem.* Amen.




INDEX

RERUM ET VERBORUM.

Errata, quæ operarum incuriâ irrepserunt, sic corrige.

PAg. 8. Galiis, pro, *Gallia*. pag. 9. Hæc in vrbe, pro, *hac in vrbe*, & ru, pro, *vt tu*. pag. 19. propositio, pro, *proposito*. pag. 21. Augustinini, pro, *Augustini*; maliriam, pro *militiam*. ab ipso euectum (omissum est *consentiente*. pag. 23. vocarus est, pro, *vocatus sit*. pag. 24. potastatibus, pro, *potestatibus*. probabilius censet, pro, *censeo*. pag. 25. exulrauit, pro, *exulauit*. pag. 27. qui fuerat exul, pro, *fueras*. pag. 30. insensissimas, pro, *infensissima*. pag. 31. sciscitandi, pro, *sciscitanti*. armotorum, pro, *armatorum*. pag. 34. Hoplomacum, pro, *Hoplomachum*. pag. 40. sinistro quodam facto, pro, *fato*. pag. 45. obtum. pro, *obitum*. pag. 48. in eadem sed, pro, *eadem sede*. pag. 53. imo vtcunque, pro, *vtrunque*. pag. 55. Vidit, & heu, pro, *& hac*. pag. 56. iter carpisse, pro, *carpsisse*. pag. 61. virtutem mater, pro, *virtutum*. pag. 62. consensus accrescit, pro, *accessit*. pag. 65. Repente memoriâ, pro, *Repete*. pag. 66. religiosorum, pro, *religiosarum*. pag. 81. & credam, pro, *vt credam*. pag. 82. reuerentiâ tradit, pro, *traduxit*, pag. 84. additúsque omnes, pro, *aditúsque omnes*. p. 94. relinquere (omissum est) *prætermiserit*. pag. 102. Vllus est, pro, *vltus est*. pag. 108. pertiuentium, pro, *pertinentium*. pag. 109. exboramur, pro, *exhortamur*. pag. 113. puræque doctrinæ, pro, *putaque*. odio heterodoxi, pro, *odio, quo heterodoxi*. pag. 120. Astrologorum, pro, *Apostolorum*. pag. 127. iudicariæ potestatis, pro *iudiciariæ*. protestati Patris, pro, *potestati*.




BIBLIOTECA